
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01663094 9

April 1899.

C. VALERII CATULLI

VERONENSIS

CARMINA

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

FRID. GUIL. DOERING.

ALTONAE,
SUMTIBUS I. F. HAMMERICHII.
MDCCCXXXIV.


LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO

C. A. BOETTIGERO

ANIMAE SUAE DIMIDIO

D. D. D.

FRID. GUIL. DOERING.

PRAEFATIO.

Rationem aliquam reddituro de usu fructuque otii, bellissimi illius, ut Cicero ait, senectutis praesidii, brevem mihi benevoli lectores praebeant audientiam. Ex eo inde tempore, quo Catulli Carmina qualicunque mea opera edenda curavi, quinquaginta ferme anni praeterierunt. Itaque, cum iam ante plures annos omnia curatae a me Editionis Catulli exempla divendita essent, fuerunt, qui me ad huius poetae Carmina de integro edenda excitarent. Neque id frustra. Est enim a natura fere nobis insitum hoc, ut non solum ea, quae olim nobis grata et iucunda fuerunt, lubenter animo repetamus, sed etiam ut minus recte a nobis intellecta et diiudicata retractare cupiamus. Cum igitur ad retractandam Catulli Editionem animum appulissem, manumque rei iam admovissem, tam multa offerebantur vel delenda vel immutanda vel rectius constituenda, ut fieri non posset, quin nova plane Catulli prodiret Editio.

Est autem a me instituta ratio haec: Ante omnia farraginem Variarum Lectionum sustuli, quia in iis formae exhibentur tam informes, ut risum potius moveant, quam ad vitium aliquod retegendum ducant. At idem ego in locis dubiis vel aperte corruptis haud neglexi in notis proferre eas lectiones, e quibus elici fortasse posset vera lectio; emendationes vero, quas

tentavi, in notis indicavi. — Quodsi vero sint, qui Lectionum Varietatem desiderent, iis largiter hae epulae appositae sunt in Editione Clarissimi *Sillighi*, qui passim de Variis Lectionibus docte disputavit.

Ceterum novo plane, quem nunc adiecimus, Commentario cedere omnino debuit vetus, qui plura habebat vel putide abundantia, vel iuvenile vanae gloriolae captandae studium ostentantia, vel alia ad superflua et inutilia referenda. At in hoc novo Commentario non solum diligenter mihi cavi, ne quid ego senex septuaginta octo annos natus molirer inepte, sed etiam, quae chartae mandaveram, antequam typis expressa legerentur, communicavi cum *Amicissimo Iacobsio*, et, quae ille monuit, grato animo in usum meum converti.

Egregie autem de hac nova Catulli Editione meruit Vir tam larga solidioris doctrinae scientia imbutus, quam mira in indagandis operarum et scripturae vitiis sagacitate instructus, Liberalium Artium Doctor *Augustus Straubelius*, quem venerantur omnes, qui singulares eius virtutes perspectas habent.

Denique vehementer opto, ut aequi bonique iudices iis, quae ad Catullum explicandum attulimus, ponderandis et examinandis non aurificis stateram, sed popularem trutinam adhibeant.

Indicem Verborum ad exemplum Indicis Horatiani, a *Viro Litteratissimo Aemilio Braunio*, nunc Romae vivente, concinnati, confecit nepos meus, *Carolus Regel*, Gymnasii nostri multae spei discipulus.

Gothae,
a. d. XII. April. MDCCCXXXIV.

DOERING.

VERSUUM GENERA,

QUIBUS CATULLUS IN CARMINIBUS USUS EST, EX V. CL. *NOBBII* DE METRIS LIBRO DESCRIPTA.

I. Iambicus trimeter acatalectus, qui puros iambos complectitur, in tribus carminibus, IV. XX. XXIX., et in his semel tantum (XXIX, 21.) cum longa anacrusi adhibetur. In uno carmine LII. numeri iambici spondiacis sunt mixti, saltem in quatuor prioribus versuum pedibus. Caesura in tertio pede, sive quae πενθημιμερὴς vocatur,

⏓ | –́ ⏑ – ⏑ || –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ ⏓,

ut legitima habetur, sic in his quoque carminibus solemnis est. Eadem vero aliquoties etiam in quartum pedem cadit, ubi ἑφθημιμερὴς appellatur.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –

II. Iambicus trimeter claudus, qui in septem carminibus (VIII. XXII. XXXI. XXXVII. XXXIX. XLIV. LIX.) conspicitur, sex pedibus efficitur, quorum secundus, quartus et quintus semper sunt iambi, primus et tertius modo iambi modo spondei, sextus vel spondeus vel trochaeus. Huius quoque caesura duplex est, et mox in tertio pede vocabulum terminat:

⏓ – ⏑ – ⏓ || – ⏑ – ⏑ – – ⏓

mox in quarto:

⏓ –́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ –́ ⏓,

cuius quidem generis exempla oppido pauca sunt.

III. Iambicus tetrameter catalectus:

⏓ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – || ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏓

cuius caesura, ut apud alios, sic apud Catullum in extremo pede quarto locum habet. Catullus hunc adhibet in uno tantum carmine XXV.

IV. Galliambicus, de quo vid. in Argumento ad Carm. LXIII.

V. Versus Choriambicus (in carm. XXX.)

–́ – –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓,

spondeum in ipsa voce (praeter v. 8. et 11.) terminatum,

tres choriambos et logaoedici ordinis modo in fine iambum continet. Caesurae locus post primum choriambum est, exceptis vv. 4. 7. 8., pariter post secundum, praeter v. 11. et 12., non item post tertium. Sed his quoque in versibus, ubi altera laeditur caesura, saltem altera servatur.

VI. Hexameter heroicus nunc in ipsis heroicis carminibus (LXII. et LXIV.), nunc in elegiacis (LXV — CXVI.) usurpatur. Multi sunt versus, quorum quintus tantum pes est dactylus, nec pauci, qui, dactylo in quarta sede praemisso, in spondeos exeunt.

Caesura autem plurimorum versuum, quae legitima habetur in arsi tertia, sive *πενθημιμερής*, maxime usitata est, nonnusquam trochaica, sive *κατὰ τρίτον τροχαῖον*, raro in thesi pedis secundi aut in arsi quarta. Ceterorum pedum caesura maxime in posteriore hemistichio saepe ita laeditur, ut pedes deinceps singuli singulis vocibus definiantur.

VII. Pentameter elegiacus, in Carmm. LXV — CXVI. usurpatus.

VIII. Phalaeceus hendecasyllabus, cuius versus genere Catullus utitur in quadraginta carminibus (I. II. III. V. VI. VII. IX. X. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XXI. XXIII. XXIV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXXII. XXXIII. XXXV. XXXVI. XXXVIII. XL. XLI. XLII. XLIII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII.) Hic versus primo quolibet praeter pyrrhichium bisyllabo pede, tanquam fundamento sive basi, deinde dactylo constat, qui cum spondeo in uno carmine LV. aliquoties mutatur, denique tribus trochaeis, eorumque ultimo pro extremae syllabae ratione variabili. Caesura legitima est in extremo pede secundo:

– – ´– ⏑ ⏑ | ´– ⏑ ´– ⏑ ´– ⏒
– ⏑
⏑ –

sed pro metri brevitate saepissime in tertia a fine arsi:

. . . . – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ – ⏒

IX. Sapphicus hendecasyllabus, ab illo ita tantum discrepans, ut, dactylo medium locum tenente, duos ab initio totidemque in exitu trochaeos habeat, quorum se-

cundus plerumque spondeo cedit, quartus ultimam syllabam habet ancipitem.

–́ ⏑ –́ ⏓ –́ | ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓.

Carmen XI. et LI.

X. Adonius, qui ternis versibus Sapphicis hendecasyllabis subiicitur et stropham semper, plerumque etiam sententiam terminat. Hic ipse quoque dactylus logaoedicus dactylo constat et trochaeo vel, quod in thesi extrema nihil interest, spondeo.

– ⏑ ⏑ – ⏓

XI. Glyconeus, cuius forma est huiusmodi:

´ . ´ . | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –

Hic igitur basin in plerisque omnibus locis trochaicam, saepe spondiacam habet, semel iambicam, qua dactylus et trochaeus cum arsi quadam innituntur. Hoc quoque in versu ultimam syllabam cum prima sequentis versiculi interdum coalescere eo minus mirabile est, quo crebrior est brevium in litteram consonam desinentium productio.

XII. Pherecrateus, qui versibus Glyconeis in carmine XXXIV. ternis quartus, in Carm. LXI. quaternis quintus succedit, eiusdem generis quam Glyconeus est, una illa arsi brevior. Basis est trochaica, nisi quod in carm. XXXIV. v. 4. iambus et LXI. 205. spondeus invenitur.

– ⏓ – ⏑ ⏑ | – ⏑̲

XIII. Priapeus, e Glyconeo et Pherecrateo compositus, qui et in choriambicis ob ultimam prioris hemistichii syllabam ancipitem:

´ . ´ . | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓́ ´ . ´ . | –́ ⏑ ⏑ – ⏑

et in dactylicis logaoedicis ob arsin illam accurate servatam numerari recte potest:

´ . ´ . | –́ ⏑⏑ | –́ ⏑ –́ | ´ . ´ . | –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑

quae solemnis est in Catulli carminibus (XVII—XIX.) horum versuum forma. In caesura, quae in prioris hemistichii finem cadit, anceps quidem, sed bis tantum brevis syllaba invenitur. Cui qui proximus est, pes trochaeus esse solet, nisi quod XVII, 20., XIX, 3. et 9. spondeus exstat.

Syllabus Carminum,
adiecto versuum genere, cui quaeque conveniunt.

Carmen	Vers. genus.	Carmen	Vers. genus.
1.	VIII.	34.	XI. XII.
2.	VIII.	35.	VIII.
3.	VIII.	36.	VIII.
4.	I.	37.	II.
5.	VIII.	38.	VIII.
6.	VIII.	39.	II.
7.	VIII.	40.	VIII.
8.	II.	41.	VIII.
9.	VIII.	42.	VIII.
10.	VIII.	43.	VIII.
11.	IX. X.	44.	II.
12.	VIII.	45.	VIII.
13.	VIII.	46.	VIII.
14.	VIII.	47.	VIII.
15.	VIII.	48.	VIII.
16.	VIII.	49.	VIII.
17.	XIII.	50.	VIII.
18.	XIII.	51.	IX. X.
19.	XIII.	52.	I.
20.	I.	53.	VIII.
21.	VIII.	54.	VIII.
22.	II.	55.	VIII.
23.	VIII.	56.	VIII.
24.	VIII.	57.	VIII.
25.	III.	58.	VIII.
26.	VIII.	59.	II.
27.	VIII.	60.	XI.
28.	VIII.	61.	XI. XII.
29.	I.	62.	VI.
30.	V.	63.	IV.
31.	II.	64.	VI.
32.	VIII.	65.—116. Carmm. VI. VII.	
33.	VIII.		

C. VALERII CATULLI
VERONENSIS
AD
CORNELIUM NEPOTEM
LIBER.

CARMEN I.
AD CORNELIUM NEPOTEM.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis,

CARM. I.

Cum Catullus carmina sua non displicuisse intellexisset Cornelio Nepoti: huic illa mira festivitate et verecundia *donat* et dedicat.

1. *quoi*, prisce pro: *cui*, ut Carm. seq. v. 3. sic infr. XXII, 20. *quoique.* — *lepid.*, accommodate ad ea, quae in hoc libello vel iocose, vel salse, vel risus movendi causa, vel suaviter et eleganter dicta sunt. Infr. VI, 17. *volo te ac tuos amores ad caelum lepido vocare versu.*

2. *arid. m. pum. expol.* confectum modo et absolutum. — Libri novi in publicum emittendi, ut comtiores et politiores in manus lectorum venirent, levigari et aequari solebant pumice; cf. infr. XXII, 8. Tibull. III, 1, 9. De voce *pumice* in genere feminino posita exempla vide apud *Burm. Sec.* ad Anthol. Lat. T. II. p. 507.

4. *meas — nugas.* modeste Catullus carmina sua, tanquam humiliter de ijs senserit, vocat *nugas*, ut Horat. Sat. I, 9, 2. et Epist. II, 2, 141. — *esse aliquid*, non esse sine pretio aliquo.

5—7. *Iam tum, cum* cett. Nepos enim non tantum libellos de Vitis Imperatorum Excellentium, sed multo plura scripsit, quae succubuerunt temporis iniuriae. Ad ea pertinent *(tres chartae)* tres libri, quibus ille *(unus Italorum)* prae omnibus Romanis *(omne ae-*

Doctis, Iupiter! et laboriosis.
Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,
Qualecunque: quod, o patrona Virgo,
Plus uno maneat perenne seclo.

CARMEN II.

AD PASSEREM LESBIAE.

Passer, deliciae meae puellae,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acres solet incitare morsus,
Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet iocari,
Ut solatiolum sui doloris,
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor:
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristes animi levare curas;

vum) omnem rerum gestarum memoriam complexus est. — *Iupiter*, exclamatio de rebus tam admirationem (ut h. l.) quam dolorem (ut infr. LXV, 30.) moventibus; nos: *Himmel.*

9. *o patr. Virgo*, sine dubio *Minerva*, quae res doctas et laboriosas tractantibus *patrona* est.

CARM. II.

Catullus, postquam Lesbiam suam saepius cum passere, quem illa alebat, ludentem iocantemque conspexerat, passerem illum, quem versibus quibusdam celebraret, haud indignum habuit. Pertinet hoc carmen, licet brevius, ad carmina vere lepida et iocosa, qualia Catullus in carminum suorum *Dedicatione* professus est.

3. *prim. digit. primus digitus* est superior sive extrema digiti pars; sic apud Ciceronem *primis labris* (extrema sive anteriore labrorum parte) *aliquid degustare.* — *adpetenti*, inhianti, rostrum ad mordendum diducenti, morsuro.

5. *desiderio meo nitenti*, formosae meae puellae, cuius desiderio flagro; *nitenti*, nitore pulchritudinis exsplendescenti. Cic. Epist. ad Famil. XIV, 2. sub fine: *Valete, o mea desideria* (o mei desideratissimi), *valete.* — *carum nescio quid*, aliquid, quod ei iucundum sit, facere, rem aliquam iocosam pro arbitrio vel animi causa tractare.

7—8. *ut solatiolum* cett. Hic locus per corruptas veterum Codicum lectiones factus est inquinatissimus. Nihilominus nostra aetate extitit, qui hunc locum revocatis ineptis lectionibus multo obscuriorem redderet. Quis enim ferat ineptam repetitionem copulae *et* pro *ut!* Equidem iam olim pro *Ut solatiolum* tentaveram: *In solatiolum.* Necdum poenituit me huius emendationis propositae; magis tamen nunc mihi placet: *Ut* (tanquam id sit) *doloris sui*, ut mihi videtur *(credo)*, *solatiolum*, scilicet ut *tum* (hoc lusu vel ioco) *gravis acquiescat ardor*, amoris levetur vehementia; ut *dolor*, quem poeta innuit, clarius designetur, addit: *ut tum* cett.

Tam gratum mihi, quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

CARMEN III.

LUCTUS DE MORTE PASSERIS LESBIAE.

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem,
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat:
Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc, unde negant redire quemquam.

11. *tam gratum mihi* sc. foret, *quam* gratum *fuisse ferunt* cett. — *puellae pernici*, Atalantae, Schoenei filiae, quae in cursus certamine cum procis, cum se in cursu retardari passa esset tollendo tria aurea poma in stadio proiecta, victa et victori Hippomeni nupta est.

13. *Quod zonam* cett. quod quidem malum aureolum in causa fuit, ut zona, qua diu praemunita fuerat Atalanta, solveretur, h. e. ut tandem Atalanta iniret coniugium, quod diu repudiaverat. De more, quo sponsi sponsarum zonam, quam illae tanquam castitatis munimentum gestare solebant, solvisse dicuntur, copiose egit *Schraderus* ad Musaeum p. 343 — 349. cf. *Ernest.* ad Callim. Hymn. in Dian. v. 16. et *Burm.* ad Ovid. Heroid. Ep. II, v. 116.

CARM. III.

In hoc carmine vere ludicro poeta de melliti Lesbiae passeris morte luctum indicit.

1. *venustiorum*, elegantiorum, qui tam externo cultu, quam morum suavitate placere student.

5. *Quem plus illa oculis s. am.* cum oculorum, praestantissimae corporis humani partis, amore comparari solet summus quisque amor; vid. *Spanh.* ad Callimach. H. in Dian. v. 211. et *Rittershus.* ad Oppian. Halieut. I, 703.

6 — 7. *suamque ipsam*, suamque dominam; ut simpliciter apud Graecos αὐτός dominus, αὐτή domina.

10. *pipil.* — *pipilare* passeris tam blandientis, quam irascentis (nam Lesbia acres passeris morsus incitare solebat, Carm. II, 4.) voces vel sonos exprimit.

11 — 14. *Qui nunc it* cett. observa orationis granditatem, quasi grandior quidam terrae incola ad Orcum migraverit. *Illuc, unde neg.* cett. hinc *Orcus* apud Virg. Aen. VI, 425. vocatur *ripa irremeabilis undae*, et apud Oppian. Halieut. IV, 394. ἀνέκβατος ἄϊδος

At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis!
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! O miselle passer,
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

CARMEN IV.

DEDICATIO PHASELI.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,

εὐνή. Propert. IV, 11, 2. *Panditur ad nullas ianua nigra preces. Cum semel* cett. — *quae omnia bella devoratis.* similiter Venus mortem Adonidis deflens apud Bion. Idyll. I, 55. τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταῤῥεῖ. et sic Ovid. Amor. II, 6, 39. de morte psittaci: *Optima quaeque fere manibus rapiuntur avaris.*

17. *Tua opera*, tua causa, ob tuam mortem; quod fit per aliquem vel per aliquid, id *eius opera* factum esse dicitur.

CARM. IV.

Phaselus, navicula longior et cursu velocior, dictus ita esse videtur a longiore forma leguminis, quod nos dicimus *die türkische od. Schminkbohne.* Ille igitur phaselus, postquam labores, quos huc illuc navigando exantlavisset, non sine gloria enarravit, nunc iis detritus, confectus, et quasi senex solemni more tanquam ἀνάθημα Dioscuris se consecrat. Mirifice autem delectat huius carminis lectio, non solum ob rem, insigni arte et orationis venustate tractatam, sed etiam ob numerorum suavitatem, quam parat iamborum purorum decursus iucundissimus.

2. *Ait fu. nav. celerrimus*, graeca constructio pro: se fuisse celerrimum. Horat. Epist. I, 7, 22. *Vir bonus et sapiens dignis ait esse p a r a t u s.* Virg. Aen. II, 377. *sensit d e l a p s u s in hostes.*

3—5. *Neque ullius* cett. et se potuisse uniuscuiusque navis celeritatem superare tam remorum quam velorum usu. — *palmula* proprie pars remi extrema, in modum palmae protenta, pro toto remo. — *volare.* navis concitatus cursus vel impetus comparatur cum *volatu;* cf. Virg. Aen. III, 124. et passim alibi; et sic πέτεσθαι apud Graecos.

6. *negat negare*, ait, confirmat testari. — *minacis*, infesti ob tempestatum minas. *Adriatici*, per mare Adriaticum intellige sinum maris Mediterranei inter Italiam et Illyricum.

7. *insulasve Cycladas* maris Aegaei.

Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum;
Ubi iste, post Phaselus, antea fuit
Comata silva: nam Cytorio in iugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait Phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse; laeva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Iupiter
Simul secundus incidisset in pedem;

8. *Rhodumve nobilem.* fuit haec insula et eiusdem nominis urbs metropolis Asiae minoris tam re navali et mercatura, quam bonarum litterarum laude et gloria celebratissima; hinc apud Horatium quoque Od. I, 7, 1. vocatur illa *clara.* — *horridamve Thraciam.* Pomponius Mela II, 2.: *Thracia est regio nec caelo nec sole tractabilis, infecunda, frigida.*

9. *Propont.* — *Propontis,* pars maris inter Hellespontum et Bosporum Thracium. — *Ponticus sinus,* mare Euxinum, dicitur *trux,* ut v. 6. *minax* mare Adriaticum.

10—12. Locus venustissimus! Sensus: *Ubi* (nempe in regione Pontica) *iste,* qui *antea* floruit in silva frondosa (nam eius frondes tanquam voce instructae saepe in iugo Cytorio ediderunt sibilum [ψιϑύρισμα] vel strepitum), factus et constructus *postea* est phaselus. — *Cytorio in iugo.* mons Cytorius situs est in Paphlagonia.

11. *Comata silva,* non tantum de plurium arborum inter se iunctarum copia, sed etiam de singulis arboribus; iam de pinu, quae dicitur *comata,* quia eius folia comarum fere speciem referunt.

12. *Loquente — coma.* folia arborum, cum vento impulsa strepunt, vocem edere vel *loqui* dicuntur; Petron. in Carm. v. 120. *Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur,* ubi de hac arborum *loquela* plura exempla congesserunt Interpretes.

13. *Amast. Pont. Amastris,* urbs Paphlagoniae prope montem Cytorum, qui dicitur *buxifer;* eleganter idem apud Virg. Georg. II, 437. vocatur: *undans buxo,* h. e. obsitus buxo, cuius comae vel folia undatim agitantur, h. e. fluctuant.

15. *ultima ex origine,* ex antiquissima nobilissimaque stirpe; nobiliores enim arbores gentem quasi suam propagant ad posteros; hinc *arbores* matrum filiarumque nomine insigniuntur. Horat. Od. I, 14, 11. *Quamvis Pontica pinus, Silvae filia nobilis, iactes et genus et nomen inutile.*

18. *freta impotentia,* aestuosa.

19—21. *laeva, sive dextera* cett. Sensus: sive ventus a coeli regione ad laevam, sive ad dexteram adspiraret, sive secundus (*Iupiter*) ventus ab utraque coeli regione simul ita adspirasset, ut mihi liceret extremam veli partem utrimque func attractam tam laevo quam dextero phaseli lateri annectere et alligare, et hoc est: *utrumque pedem facere, utroque pede,* sive, ut cum Virgilio loquar (Aen. IV, 587.),

Neque ulla vota litoralibus Diis
Sibi esse facta, cum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

CARMEN V.

AD LESBIAM.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt;
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,

aequatis velis currere vel navigare. Scilicet *pes* (apud Graecos πούς, ποδεών) nautis dicebatur infima veli pars sive lacinia (nos: der *Zipfel*), quae ad alterutrum sive ad utrumque navis latus simul alligata tanquam *pes* firmiter staret.

22. *Neque ulla* cett. cum phaselus in nullo naufragii periculo trepidasset, nullis quoque nuncupatis votis, quae pro accepto salutis munere in littore vel Neptuno vel aliis diis solveret, obstrictus fuit.

23—24. *a mare.* de voce *mare* in ablativo pro *mari* vid. *Drakenb.* ad Liv. XXVIII, 6. §. 2. — *novissimo*, remotissimo, Ponto nempe Euxino. — *limpidum lacum*, intellige *Benacum*, inter Brixiam et Veronam.

27. *Gem. C. et gem. C.* Dioscuri enim, Castor et Pollux (*lucida sidera*, Hor. Od. I, 3, 2.) favent navigantibus.

CARM. V.

Lesbiam suam poeta, dum ei vitae, cursu celerrimo praetereuntis nec unquam redeuntis, brevitatem ante oculos ponit, voluptatibus et amoribus secum indulgere, nec quicquam severos morum censores morari iubet. cf. Tibull. I, 1, 69—70.

1—3. *Vivamus. vivere* iam non est simpliciter vivere, sed ita, ut simul vitae iucunditates hilari animo percipiantur. Horat. Epist. I, 6, 65. 6. *Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.* — *Rum. sen. sev.* opprobria, quibus senes austeriores insectari solent voluptarios. — *Rumor* de rebus, quae tam in bonam quam in malam partem sparguntur; de fama tam honesta quam inhonesta, tam secunda quam adversa. Hor. Sat. I, 4, 125. *rumore malo flagrare.*

4. *Soles occid.* cett. Similiter Hor. Od. IV, 7, 13. *Damna tamen celeres reparant coelestia lunae.*

6. *perpetua una*, una, quae durat in perpetuum, h. e. aeterna; cf. Mosch. Idyll. II, v. 108. 9.

Dein usque altera mille, deinde centum.
Dein, cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

CARMEN VI.

AD FLAVIUM.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidae atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam te non viduas iacere noctes
Nequidquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio fragrans olivo,
Pulvinusque peraeque et hic et illic
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.

10. *millia multa,* summam multorum millium. — *usque,* non interiecta mora, uno tenore.

11. *conturbabimus illa.* — eleganter *conturbare* de numerorum inter se permixto et confuso ordine, ita ut inde certus numerus elici, effici, et constitui nequeat. Hoc eleganter translatum est apud Terent. Eunuch. V, 2, 29—30. ad perturbatam et confusam rei alicuius peragendae rationem: *ita conturbasti mihi Rationes omnes, ut* cett. nos: *du hast mir meinen ganzen Plan so verrückt, in meine Rechnung einen solchen Strich gemacht, dafs* cett. — *ne sciamus* sc. basiorum numerum.

12. 13. *Aut ne quis malus* cett. respexit Catullus veterem superstitionem, ex qua *malae mentis* homines nimia et omnem modum excedente laude, tanquam fascini quodam genere, iis, quibus inviderent, se nocere posse putabant. cf. Virg. Eclog. VII, 27. 28.

CARM. VI.

Petulantia et lascivia, qua scripsit Catullus hoc carmen et quaedam alia, non nisi aetatis, qua illa scripta sunt, excusari possunt ingenio. — Cum Flavius quidam occultasset et reticuisset adhuc, quibus indulgeret, amores, suspicionem apud Catullum, pudendos et turpiores istos amores esse, moverat. Nihilominus Catullus, si Flavius amores suos, sive honestos sive inhonestos, patefecerit, se eos lepidis versibus celebrare velle pollicetur.

6—12. *Nam te* cett. Locum sequentem multum negotii facessivisse interpretibus satis docet efficta et reficta lectionum varietas. Necdum de huius loci integritate remota est dubitatio. In-

Nam mi praevalet ista nil tacere.
Cur nunc tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?
Quare quidquid habes boni malique,
Dic nobis. Volo te ac tuos amores
Ad caelum lepido vocare versu.

CARMEN VII.

AD LESBIAM.

Quaeris, quot mihi basiationes
Tuae, Lesbia, sint satis superque?
Quam magnus numerus Libyssae arenae
Laserpiciferis iacet Cyrenis,
Oraclum Iovis inter aestuosi
Et Batti veteris sacrum sepulcrum;
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,

primis offendit v. 12. repetita particula *nam*, iam in v. 6. posita. Itaque hunc locum pro plane corrupto habet *Iacobsius* meus. Quid igitur, si pro altero *Nam* in v. 12. mecum scripseris: *Nae*, ut totius huius loci sententia sit haec: Nam te non sine socia, h. e. scorto tuo noctu iacere in lectulo, qui fragrat suaves odores, id ipse lectulus, tum pulvinus, ab omni parte incubando attritus et depressus, et concussi lecti tremor stridorque *(argutatio)* nequaquam reticent, sed alta quasi voce palam faciunt. *(Nae)* Profecto ista non reticere *(mi praevalet)* apud me plus valet, vel mea multum interest, nam volo amores tuos celebrare versibus.

13 *latera exfututa*, libidinis exercitio fracta, enervata, exhausta viribus, *pandas*, (a *pandare*), ob virium defectum panda (h. e. inclinata, defluentia) ostendis. Eiusmodi latera vocat Ovidius Amor. III, 11, 13. *invalida, emerita.*

CARM. VII.

Agit cum Lesbia de basiorum, quae ab illa expetit, numero, quem comparat cum rebus, arena nempe et sideribus, numerari nesciis. Est igitur hoc carmen merus lusus. Cf. infr. Carm. LXI, 206 sqq.

3 — 6. *Libyssae*, Africanae, *arenae*. Hor. Od. I, 28, 1. *numeroque carentis arenae.* — *Cyren.* Cyrenae, una e quinque urbibus regionis Cyrenaicae in Africa prope Aegyptum, cuius terra ferax fuit *laserpicii*, plantae, e qua succus (ὀπός) exprimebatur. Disputat de hac planta *Salmas.* ad Solin. p. 249. cf. *Hemsterh.* ad Polluc. IX. S. 60. p. 1026 — 8.

5. *Oracl. Iovis*, nempe *Hammonis*, de cuius templo et oraculo egit Curtius IV, 7, 5. De imagine autem Iovis Hammonis tam in nummis quam in statuis expressa vid. *Spanh.* de *Usu et Praest. Num.* Diss. VII, p. 389. — *aestuosi.* ita Iupiter ab *aestu*, qui fervet in Libya, dicitur.

6. *Batti vet.* memoriae Batti, Cyrenarum tam conditoris, quam coloniarum eo deductarum auctoris, sepulcrum Cyrenis exstructum et sacratum fuit.

Furtivos hominum vident amores,
Tam te basia multa basiare
Vesano satis et super Catullo est,
Quae nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

CARMEN VIII.

AD SE IPSUM.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et, quod vides perisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam iocosa fiebant,
Quae tu volebas, nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non vult: tu quoque, impotens, noli;

10. *Vesano*, amoris vi ad vesaniam adacto, furenti prae amore.

11. 12. *curiosi*, pernoscendi cupidi, quousque progrediatur innumerabilis osculorum copia. — *mala lingua*, nimia scilicet laude; vid. supr. ad V. 12.

CARM. VIII.

Catullus, qui mollissimo adhuc Lesbiam amaverat animo, repente prodit vir fortis, strenue contra amorum ineptias pugnaturus. Sed pugnat et fortia verba iacit, ut Phaedria apud Terentium in Eunucho, et Alexis apud Virgilium in Ecloga Secunda. Nam dum Lesbiae ante oculos ponit, quantam dulcissimi amoris felicitatem perdat, si se amatorem perdiderit, haud obscure Lesbiam, postquam ei perfidiam in amore exprobravit, ut secum in gratiam redeat, impellere et permovere studet.

1. *Miser*, misere et perdite amans; amoris enim vehementia misere amantium animos torquet et cruciat; hinc infr. XXXV, 14. de puella perdite amante: *misellae Ignes interiorem edunt medullam*, et sic XLV, 21. *Unam Septimius misellus Acmen Mavult, quam* cett. Theocr. XIII, 66. σχέτλιοι οἱ φιλέοντες. Ovid. Heroid. I, 5. *Res est solliciti plena timoris amor.* Nisi Catulli *miseriam* ad Lesbiae perfidiam referre malis. — *Fuls. quond. cand. t. s.* pro vulgari: eras quondam felix, secunda olim tibi in amore affulgebat fortuna; *soles candidi*, sereni, sudi. Ovid. Trist. II, 142. *Nube solet pulsa candidus ire dies.* Sic λευκὸν φάος, ἔαρ, θέρος, apud Graecos; vid. *Spanh.* ad Callim. Hymn. in Cer. v. 123.

4. *ducebat*, me adesse iubebat, vocabat.

6. *tam*, non parum, sed maxime; amorum delicias Catullus nova verecundia vocat *iocosa*.

9. *non vult*, sc. iocosa illa repetere, amores, ut antea, exercere. — *impotens*, tu, qui nunc a Lesbia repudiaris nec quicquam amplius apud eam polles; et sic *potens* in amore dicitur, qui puellam, quam amat, plane sibi deditam et amori

Nec, quae fugit, sectare; nec miser vive,
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella: iam Catullus obdurat,
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulla,
Scelesta, nocte. Quae tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? quoius esse diceris?
Quem basiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

CARMEN IX.

AD VERANNIUM.

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, anumque matrem?
Venisti. O mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberûm

suo respondentem et obsecundantem habet; infr. carm. C, 8. *Sis felix, Coeli, sis in amore potens.*

10. *sectare* sc. eam. — *nec miser*, misere ob Lesbiae perfidiam cruciatus; cf. ad v. 1.

11. *perf. obd.* — *perferre* et *obdurare* verba solemnia de iis, qui a re semel coepta nullo modo, nullo impedimenti genere, se abstrahi patiuntur. Imitatus est Ovid. Amor. III, 11, 7. *Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit olim.*

15. *Scelesta*, quasi Lesbia iurisiurandi, quo fidem suam confirmasse videtur, sanctitate laesa *scelus* commiserit. — *nulla nocte*, de nulla nocte; cum libidinis explendae causa de nulla amplius nocte a me rogaberis.

19. *destinatus*, idem, quod v. 11. *obstinatus*, h. e. qui, quod facere destinavit, in eo perficiendo animum ostendit pertinacissimum.

CARM. IX.

Poeta de felici amicissimi Verannii ex Hispania reditu ovat et triumphat, dum simul, quid amicus in itinere viderit et observaverit, inter amplexus et osculationem ex eius ore audiendi flagrantem cupiditatem aperit.

2. *Antist. m. mill. trec.* pro vulgari: qui ingenti vulgarium amicorum numero longe es praeferendus. Quod a nobis praefertur, id *antistare* vel *antestare* dicitur iis, quae minus nobis cara sunt.

4. *anumque matrem*, nos: *und zu deiner alten Mutter.* — *anus* iam pro nomine adiectivo ponitur. Sic infr. LXVIII, 47. *charta anus*, LXXVIII, 10. *fama anus.* Ovid. Art. Am. I, 766. *cerva anus*; et sic apud alios scriptores.

6. *Hiberûm.* — *Hiberi* sive *Iberi*, Hispani, a fluvio *Hibero.*

Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus; applicansque collum,
Iucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusve!

CARMEN X.

DE VARI SCORTO.

Varus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum,
Scortillum, ut mihi tum repente visum est,
Non sane illepidum, nec invenustum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii, in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quomodo se haberet,
Et quonam mihi profuisset aere?

7. *facta* iam latius patent, et tam ea, quae arte et manibus structa, quam quae virtutibus gesta et designata sunt, intelligi debent.

9. *Iucund. os ocul. suav.* qui oculos amici osculantur, tam animum mollissimum quam summam familiaritatem declarant. Sic apud Hom. Odyss. XVI, 15. Eumaeus obviam ruens in amplexus Telemachi: *Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλά.*

CARM. X.

Quamvis huius carminis lector, qui est purioris animi, non facile delectari potest tam re, quam poeta tractat, quam locutionibus, a foeda obscenitate petitis translatisque: tamen venusta orationis elegantia compensat quodammodo obscenitatis spurcitiem. — Catullus a Varo ducitur e foro ad eius scortillum; ibi varius exoritur sermo, et primum quidem de Bithynia, ubi Catullus in praetoris Memmii comitatu vel cohorte fuerat. Postquam igitur Catullus istum praetorem, ut hominem sordidum et avarum, sale satyrico perfricuit; (quod ipsum vel maxime in hoc carmine spectasse videtur poeta) agit de meretricum impudentia et artibus, quibus istae ad exemplum scortilli, de quo sermo est, munera ab amatoribus elicere vel ea iis extorquere solent.

1. *Varus* vel, ut veteres quidam codices exhibent, *Varrus*, Catulli fuit familiarissimus, ut ex rei factae narratione satis apparet; et hinc Catullus eum vocat *suum*. Quis fuerit ille *Varus*, versatur in divinatione, cui deest probabilitas. — *amores*. sic puellae vel amicae, quae amantur, in sensu tam honesto quam inhonesto dicuntur; cf. XXI, 4. XXVIII, 6. XL, 7. XLV, 1.

2. *ad amores visum.* de locutione *visere ad aliquem*, ut *visere ad aegros* pro: *visere aliquem*, *visere aegros*, exempla in medium produxit *N. Heins.* ad Ovid. Amor. II, 2, 21.

6—8. *quid esset iam Bithynia*, quomodo iam comparata esset Bithynia; *quomodo se haberet*, quanam sorte et rerum conditione uteretur Bithynia; *quonam mihi profuisset aere*, quanam pecuniae

Respondi id quod erat: nihil neque ipsis,
Nec praetoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret,
Praesertim quibus esset inrumator
Praetor, nec faceret pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines. Ego, ut puellae
Unum me facerem beatiorem,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat neque hic neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati

ibi collectae copia mihi fuisset lucro; *aes* pro: pecunia, saepe inprimis apud Horatium; Virg. Eclog. I, 36. *gravis aere domum mihi dextra redibat.* — Scilicet Catullus, qui, ut iam observatum est in fronte huius carminis, secutus erat praetorem Memmium in Bithyniam, spe commodorum ibi percipiendorum turpiter deceptus et elusus est praetoris sordibus et avaritia. Hanc igitur turpitudinem notat et salse deridet poeta.

9. *neque ipsis*, Bithyniae nempe incolis.

10. *nec praetoribus*, praetoris vel propraetoris munere in provincia fungentibus, *nec cohorti*, cuius pars fuit Catullus; constabat autem *cohors* vel *comitatus* praetoris ex praefectis, scribis, medicis et aliis asseclis.

11. *Cur quisquam* cett. cur quisquam rebus in provincia collectis Romam rediret instructior. Caput unguentis delibutum offerre et ostendere solebant beatiores; hinc *unctus* in re lauta constitutus. Horat. Epist. I, 17, 12. *accedes siccus* (parce vivens) *ad unctum*, laute viventem. Epist. I, 15, 44. *Verum ubi quid melius contingit et unctius.* Catullus infr. XXIX, 4. *quod Comata Gallia Habebat uncti*, et v. 22. *uncta patrimonia.*

12. *inrumator*, homo spurcissimus, a spurcissimo libidinis genere ita dictus.

14. *inquiunt*, aiunt homines.

15. *quod illic natum esse dicitur*, in Bithynia scilicet, quia ibi robustioris corporis progignebantur homines, lecticariorum quasi fuit patria; *homines ad lecticam*, lecticarii, ut apud Propert. IV, 8, 37. *Lygdamus ad cyathos*, pincerna, et sic apud Hor. Od. I, 29, 8. *ad cyathum statui* pro: pincernae muneri praefici.

17. *me facerem*, me exhiberem, probarem.

20. *rectos*, erectioris corporis homines, proceros. infr. LXXXVI. *Quintia formosa est multis: mihi candida, longa, Recta est.* Hor. Sat. I, 2, 123. de puella: *Candida rectaque sit.* — *octo.* lecticae non tantum a quatuor vel sex, sed etiam ab octo servis portabantur; hinc *lectica octophorus* vel *octophorum.* Cic. Verr. V, 11. *Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur.*

21—23. *illic*, in provincia, *fractum qui* cett. Sensus: qui vel grabatum, male tam vetustate quam fracto pede affectum, humeris suspensum portare posset; per *gra-*

In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinaediorem,
Quaeso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum
Istos commoda, nam volo ad Serapin
Deferri. Mane, inquii puellae:
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. Meus sodalis
Cinna est Gaius: is sibi paravit.
Verum, utrum illius, an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quam mihi pararim.
Sed tu insulsa male, et molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.

batum intellige vilem lectum, vel sedile, cui suppositi fuerunt asseres vel pedes, quorum ope in lecto illo sedens promoveri posset.

24. *cinaediorem*, ab abominabili libidinis genere translatum ad summam inpudentiam. *ut dec. cinaed.*, pro summa meretricum inpudentia.

26. *commoda*, bene quidem ad sensum: da mutuos, sed adversante metro; nam *a* in imperativo coniugationis primae corripi nequit. Hinc extitere plures, qui huic corrupto loco emendando operam darent. Ego ipse olim tentabam: *commode* in vocativo, „o tu, qui homo es benignus et officiosus." Nunc quidem huic loco deposito succurri posse suspicor hac correctione: *paulum* (in breve tempus) *Istos da, modo* (nos: eben) *nam volo ad Serapin Deferri.* — Quomodo *da modo* litterarum permixtione depravari potuerit in *commoda*, non incredibile certe videbitur iis, qui librariorum errores perspectos habent experientia. — *ad Serapin*, in templum Serapidis, dei Aegyptiorum, quod, extra urbis pomoerium situm, mulieres (ut ad h. l. observat *Vossius* et *Iablonsk.* in *Panth. Aegypt.* II, 5, 6.) tam valetudinis procurandae, quam libidinis exercendae causa, adire solebant.

27. *Mane*, locutio hominis, quae modo dixerat, correcturi, dum eum, quocum locutus est, revocat et rectiora audire iubet. Nos fere: *Halt, warte einmahl.* Ultima in *mane* corripitur, uti in *cave, vale, iube, vide.*

29. *Fugit me ratio.* accommodate ad praecedens *istud* sequi fere debebat: *me fefellit.* Sed saepius eorum, qui, cum loqui coeperunt, subito re aliqua perturbantur, non cohaerere solet oratio. Est igitur anacoluthon. Eiusmodi anacolutha, naturam solutius loquentium exprimentia, saepius apud Graecos Latinosque scriptores inveniuntur. — *Cinna Gaius*, poeta nobilis, qui carmen scripsit *Smyrnam*, in quo elaborando et elimando decem annos consumsisse dicitur.

32. *Utor* scil. iis, quae Cinna possidet.

CARMEN XI.

AD FURIUM ET AURELIUM.

Furi et Aureli, comites Catulli,
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda;
Sive in Hyrcanos, Arabasque molles,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Sive qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus;
Sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribilesque ulti-
Mosque Britannos:

CARM. XI.

Postquam poeta Furium et Aurelium, ut spectatissimae fidei amicos, qui vel ad itinera in terras remotissimas secum incunda, vel ad summos quosque labores secum subeundos promti paratique sint, sublimiore oratione in hoc carmine appellavit: expectet sane lector eundem novum spectatae amicitiae documentum ab iis petiturum esse; sed ecce! petit ab iis, ut *puellae suae non bona dicta* (quae sequuntur) *nunticnt.* Catullus igitur more suo in hoc carmine lusit.

1. *Fur. et Aur.* Cum plures tum Romae vixerint, Furii et Aurelii nomen gerentes, utrum nunc de *Furio Bibaculo*, elegantis ingenii poeta, an de *Aurclio*, praetore, qui legem de *iudiciis Equestri Ordini restituendis* tulit, cogitandum sit, ad liquidum perduci nequit. Ab his duobus certe diversi plane fuerunt homines *Aurclius*, quem Catullus infr. Carm. XX. ut *patrem esuritionum*, et *Furius*, quem infr. Carm. XXIII. ut hominem summa rerum inopia laborantem exagitat.

2. *in extremos Indos.* sic Hom. Odyss. I, 23. Aethiopes sunt *ἔσχατοι ἀνδρῶν.*

3. *ut*, (*ἵνα*) ubi. Infr. XVII, 10. *ut* (ubi) *lacus.* — *long. res. und.* exprimitur Homericum *πολύφλοισβος*.

4. *tunditur unda.* sic apud Hor. Epod. XVII, 55. *Neptunus alto salo saxa t u n d e r e*, et apud Virgil. Aen. V, 125. *saxum tumidis fluctibus t u n d i* dicitur. — *Eoa unda,* mari Orientali, Oceano.

5. *Hyrcanos, Arabasque,* Asiae populos; *Arabas molles,* ob solis fervorem. Hinc *tener Arabs* apud Tibull. II, 2, 4.

6. *Sacas* vel *Saces*, populos in Oriente, Scythis affines. — *sagittif. Parth.* Parthi scilicet hosti inprimis infesti fuerunt *sagittis,* quas illi equis subito in fuga versis iacere solebant.

7. *septemgeminus Nilus.* Ovid. Amor. III, 6, 39. *Ille fluens dives septena per ostia Nilus.* — *colorat aequora,* Nilus nempe in mare Aegyptium sese exonerans luti, quod secum trahit, colore ab aqua marina distinguitur.

10. *monumenta* scil. victoriarum.

11. *horribiles*, refer ad externum corporis habitum et os infuscatum, quo terrorem hosti incutere studebant Britanni; vid. Caes. de Bell. Gall. V, 14. — *ultimos,* Virg. Eclog.

Omnia haec, quaecunque feret voluntas
Coelitum, tentare simul parati,
Pauca nuntiate meae puellae
Non bona dicta:
Cum suis vivat valeatque moechis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens.
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimi flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.

CARMEN XII.

AD ASINIUM.

Marrucine Asini, manu sinistra

I, 67. *divisos orbe* (terra continente) *Britannos.* — In Codicis Dresdensis et aliorum Codd. lectione *horribilesque ulti-Mosque Br.* malui statuere, Catullum ad Horatii, Virgilii et aliorum poetarum exemplum admisisse hiatum, quam sequi eos, qui *horribiles et ulti-Mosque* dederunt, quod mihi certe videtur durissimum.

20. *Ilia rumpens.* locutionem *rumpere ilia* explicant de assiduo libidinis exercitio, quo tentantur, corrumpuntur et conficiuntur amatorum ilia. Sic infr. LXXX, 7. *rupta ilia.* Propert. II, 16, 14. *Rumpat ut assiduis membra libidinibus.*

21 — 24. *Nec meum respectet amorem.* Insigni suavitate et elegantia in hanc sententiam: Nec speret illa, fore, ut amor, sicut ante, in animo meo floreat, sed timeat potius, ne ille floris instar, ab aratro tacti, exarescat.

22. *cecidit*, accommodate ad florem, qui *cadit*, cum praetereunte aratro frangitur.

23. *Ultimi*, extremi; designatur prati margo vel terminus. Ovid. Met. IV, 300. *Stagni tamen ultima vivo Cespite cinguntur.* — Ceterum hanc suavissimam imaginem a fracto flore ad subitum rei alicuius casum vel praematuram mortem translatam in rem suam convertit Virg. Aen. IX, 435. *Purpureus veluti cum flos, succisus aratro, Languescit moriens.* At flos integer et intactus infr. LXII, 39. dicitur: *nullo contusus aratro*, ubi vox *contusus* propositam a Vossio lectionem *fractus* pro *tactus* confirmare videtur.

CARM. XII.

Minace ore reflagitat Catullus in hoc carmine linteum, quod in laeta compotatione per iocum furtiva manu abstulerat Asinius; et primum quidem furtum illud rem sordidam et invenustam appellat; deinde Asinium secum reputare iubet, in quanto pretio sibi esse debeat hoc linteum, in amicitiae memoriam scilicet a sodale sibi missum; denique minatur tela, nempe trecentos hendecasyllabos, quibus linteum, nisi illud remiserit Asinius, expugnaturus sit.

1. *Marr. Asin.* — *Asinius* voca-

Non belle uteris in ioco atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte:
Quamvis sordida res et invenusta est.
Non credis mihi? Crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet aestimatione,
Verum est mnemosynon mei sodalis.
Nam sudaria Setaba ex Hiberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Verannius. Haec amem necesse est,
Ut Veranniolum meum et Fabullum.

tur *Marrucinus* a patria, sive ab agro Marrucino, in occidentali Italiae parte sito. — *manu sinistra*, fortasse, quia convivae pro ratione et more, quo mensae accumbebant, tectius aliquid subducere vel surripere poterant. Hinc Ovid. Met. XIII, 111. *nataeque ad furta sinistrae.*

2. *in ioco*, iocum certe Asinius in furto deprehensus praetendisse videtur. — *in vino*, ad vinum, in compotatione.

3. *lintea* ex lino confecta, quae v. 14. dicuntur *sudaria*, nos: *Schnupf- od. Schweifstücher.*

5. *Quamvis*, valde, admodum; *quamvis diu dicere*, pro: valde diu, apud Cic. Rosc. Amer. cap. 32. cf. *Burm.* ad Phaedr. I, 28, 1. *Drakenb.* ad Liv. I, 4. §. 4.

6. *Poll.* de *Asinio Pollione*, quem magni faciebant Horatius et Virgilius, adi Interpretes ad Hor. Od. II, 1, 9. et ad Virgil. Eclog. VIII, 10. Peculiarem libellum de hoc viro celebratissimo scripsit *Thorbeckius*. Lugd. Bat. 1820.

7. 8. *qui tua furta v. tal. Mut. v.* Sensus: qui, si rem factam mutare posset in infectam, vel talento oblato ignominiosi furti culpam a te amoliri et abstergere paratus sit; nos: *er würde ein Talent drum geben, wenn es nicht geschehen wäre.*

8. 9. *leporum disertus puer:* iunge: *puer leporum* (ut *puer centum artium*), puer disertus, imbutus leporibus.

12. *aestimatione* sc. pretii; modico enim pretio parari potest linteum.

13. *mnemosynon*, munus in memoriam amicitiae datum; nos: *ein Andenken.*

14. *sudaria Setaba*, contexta ex lino *Setabo*, ab urbe et fluvio *Setabi* in Hispania sic dicto, ubi linum nascebatur optimum. — De *Iberis*, Hispanorum populo, cf. supr. IX, 6.

16. 17. *Haec amem* cett. (*ut*) sicuti Veranniolum meum amo, ita *haec* quoque sudaria *amem necesse est.* Ovid. Her. XVII, 71. *acceptissima semper Munera sunt, auctor quae pretiosa facit.* Cf. Mart. IX, 99.

CARMEN XIII.

AD FABULLUM.

Coenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dî favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Coenam, non sine candida puella,
Et vino et sale, et omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
Coenabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suavius elegantiusve est:
Nam unguentum dabo, quod meae puellae
Donarunt Veneres Cupidinesque:
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

CARM. XIII.

Iocose Catullus Fabullum ad coenam vocat, hac nempe conditione, ut ille, si bene apud se coenare velit, epulas in bona coena apponendas secum afferat; se enim, cum nihil sibi sit in sacculo, illas parare et apponere non posse: at promittit *meros amores*, h. e. omnia, quae summum ergo Fabullum amorem declarent, et praeterea unguentum praestantissimum.

1. *Coenabis bene* cett. imitatus est Catullum Martial. XI, 52.

2. 3. *si t. Di fav.*, nos: *so Gott will.* — *tecum attuleris.* vigebat iam antiquitus hic mos, ut familiariter ad coenam vocati afferrent secum coenae symbolam; sic Horatius Od. IV, 12, 17. Virgilium secum afferre iubet unguentum nardinum.

4. *candida*, pulchra; Hor. Epod. XI, 27. *Sed alius ardor aut puellae c a n d i d a e, Aut teretis pueri.* et sic Epod. III, 9. *c a n d i d u s dux* (Iason), Od. I, 18, 11. *candidus Bassareus*, et passim.

7. 8. *Nam t. Cat. pl. s. est aran.* nam Catullo tuo, qua lautior coena apparetur, deest pecunia. Res, quae in loco deserto et vacuo iacent, aranearum textura obduci solent; facete igitur *sacculus*, cui nihil pecuniae, quae inde depromatur, inest, *plenus aranearum* dicitur.

9—12. *contra*, pro adducta puella candida meros amores. — *Seu quid* (malim *quod*) *suav. eleg. est*, sive quod ad maiorem tam suavitatem, quam elegantiam refertur, unguentum scilicet, quod ipsa Venus et Cupido puellae meae dono obtulerunt. — Veneri iam et Cupidini, quod apud Propert. II, 29, 17. Amori tribuitur: *Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores, Sed quos ipse suis fecit A m o r manibus.*

CARMEN XIV.

AD CALVUM LICINIUM.

Ni te plus oculis meis amarem,
Iucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Isti Dî mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sulla literator:
Non est mî male, sed bene ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Dî magni, horribilem et sacrum libellum,

CARM. XIV.

Effundit Catullus in hoc carmine animi acerbitatem de pessimis, quae muneri ei miserat Licinius, carminibus. Hanc acerbitatem temperavit quidem, ut ait, mollissimus, quo Licinium amplectebatur, amor, sed, ut quodammodo saltem ulciscatur Licinii protervia, se carmina absurdissima, ex omnibus tabernis librariis comportata, pariter ei muneri missurum esse facete minatur. — *Calvus Licinius* fuit nobilis orator et causarum actor. Cic. ad Div. XV, 21. et XVII, 24. Pertinuisse Licinium ad eos, quos Catullus in sinu et oculis gestaret, intelligi quoque potest ex Ovid. Amor. III, 9, 62.

1. *plus oculis.* cf. supr. III, 5.

3. *odio Vatiniano,* proverbiali fere locutione pro: odio acerbissimo. Nam *Vatinius* per scelera, quae Cicero persecutus est in Oratione in Vatinium, omnium hominum acerrimum sibi conflaverat odium.

5. *male,* malo consilio, nos: *boshaft; perderes,* enecares; similiter apud Horatium in Epist. ad Pis. v. 475. recitator *occidere aliquem legendo* dicitur.

6. 7. *Isti Di* cett. Sensus: Dii perdant istum hominem, qui tibi, ut patrono suo, tot pessimorum poetarum muneri misit carmina. — *impiorum.* poetis *impiis,* Musarum sacra malis carminibus profanantibus, h. e. poetis malis opponuntur poetae *pii,* rite Musarum sacris imbuti et initiati.

8 9. *hoc nov. ac rep. Munus,* haec carmina, nova quasi arte composita novaque solertia inventa; iam salse de carminibus ineptissimis: *nova* malam in partem saepe dicuntur, quae recedunt a more, modo, ratione et norma, ad quam res aliqua adhuc exigi solebat. — *Sulla literator.* innui putant Interpretes *Sullam Cornelium Epicadum,* Lucii Cornelii Sullae libertum, qui *literator,* h. e. vir doctus, vel poetarum interpres audiebat.

11. *labores.* videtur Catullus respexisse operam Sullae a Licinio in re forensi praestitam.

12. *libellum sacrum,* execrandum, abominabilem. sic infr. LXXI, 1. *sacer alarum hircus,* et sic *morbus, ignis,* et alia, quae sunt detestabilia, dicuntur *sacra* (ἱερά). *Auri sacra fames* apud Virg. Aen. III, 57.

Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.
Non, non hoc tibi, salse, sic abibit.
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios, Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Secli incommoda, pessimi poetae.

* *

Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusque vostras
Non horrebitis admovere nobis:
Paedicabo ego vos, et inrumabo.

14. *continuo* non pro adverbio *statim, illico,* sed pro adiectivo accipio, ut sit: *solido, toto.* Sic *continua dies* Ovid. Fast. V, 734. *Continua nox* Ovid. Fast. VI, 720. *continui dies* Cic. Verr. V, cap. 36. *continuum triduum* Plaut. Mil. III, 1, 47.

15. *Sat. opt. d.* dierum, quibus Saturnalia celebrabam, *optimo,* h. e. laetissimo; nos: *am Haupttag der Saturnalien.* — *Saturnalibus,* quae in memoriam aureae aetatis, qua Saturnus in Italia regnasse dicitur, per plures deinceps dies (hinc *primis,* Liv. XXXIII, 36. *secundis, tertiis Saturnalibus,* Cic. ad Attic. XIII, 52. pro: primo, secundo, tertio Saturnalium die) immodica laetitia celebrari solebant mense decembri, mos quoque ferebat, ut amici se invicem exciperent muneribus, ad quae pertinebant libri vel carmina, vid. Hor. Od. IV, 8. et Lucian. *Cronos. s. Legisl. Saturn.* cap. 16. — Ceterum de *Saturnalibus* vid. Macrob. Saturn. I, 7. Lipsii Sat. I, 2.

16. *Non, non hoc* cett. Sensus: hic malus iocus, quo me perditum ivisti dierum optimo, non sic, ut putas, inpunitus manebit. — *Salsus,* qui sale alios conspergit, h. e. deridet et ludibrio habet.

17. *luxerit,* sc. dies. Hor. Epist. I, 6, 56. *lucet,* pro: iam dies illucescit, primo mane.

18. 19. *Caes., Aquin., Suffen.* en triumviratum quasi malorum poetarum aetate Catulli. *Aquinius,* poeta deterrimus, vid. Cic. Tusc. Quaest. V, 22. — *ios* in unam syllabam, quam metrum postulat, coaluit. — De *Suffeno* cf. infr. Carm. XXII. — *omnia venena,* carmina ineptissima et insulsissima, quae velut venenum exhorrescimus. Infr. Carm. XLIV, 12. *oratio plena veneni et pestilentiae.* Horat. Sat. I, 7, 1. *Rupili venenum.*

20. *his suppliciis,* hac poena, *te remunerabor,* lasciviam tuam ulciscar. *remunerari,* ut *gratiam referre,* saepius in malam partem apud Terentium; Francogalli: *revancher.*

23. *incommoda,* onera, opprobria.

* *

Hi quatuor versus, quanquam eos MSS. auctoritate Catullo vin-

CARMEN XV.

AD AURELIUM.

Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli. Veniam peto pudentem,
Ut, si quidquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres et integellum,
Conserves puerum mihi pudice;
Non dico a populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re praetereunt sua occupati:
Verum a te metuo, tuoque pene,
Infesto pueris bonis malisque.
Quem tu, qua lubet, ut lubet, moveto
Quantum vis, ubi erit foris paratum.
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, sceleste, culpam,
Ut nostrum insidiis caput lacessas:
Ah! tum te miserum, malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique mugilesque.

dicat *Statius*, abeant illuc, unde malum pedem tulerunt.

CARM. XV.

Mollem quendam puerum, delicias suas, iubet poeta Aurelium pudice tractare pudicumque conservare, dum ipse omnem pudicitiam nefandis verbis exuit.

1. *meos amores*, amatum a me puerum.

2. *veniam pudentem*, benevolentiam cum pudore erga meos amores coniunctam; hinc v. 5. *Conserves puerum mihi pudice*.

3 — 6. *Ut, si* cett. ut, si quis unquam fuit puer, quem in castitate et puritate permanere optares, hunc mihi pudice defendas et tuearis non quidem a populo cett.

10. *bonis malisque*, castis et incastis.

12. *foris*, extra domum; ubi extra domum (in fornice aliquo vel angiportu) parata tibi erit libidinis exercendae copia.

13. *pudenter*, ut postulat pudor, pudori convenienter.

16. *nostrum caput*, me.

18. *Quem*. tanquam adulterum uxoris meae te tractabo. — *attractis pedibus*, diductis et divaricatis. — *patente porta*, τῷ πρωκτῷ, cui infarciebantur raphani et *mugiles* (pisces marini, Plin. IX, 17.); qui plura scire cupiunt de hac moechorum poena spurcissima (ῥαφανιδώσει et παρατιλμῷ), conferant Aristoph. Nub. 1079. et ibi interpretes.

CARMEN XVI.

AD AURELIUM ET FURIUM.

Paedicabo ego vos, et inrumabo,
Aureli pathice, et cinaede Furi;
Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum: versiculos nihil necesse est;
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare possunt;
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quod millia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis:
Paedicabo ego vos, et inrumabo.

CARMEN XVII.

AD COLONIAM.

O Colonia, quae cupis ponte ludere longo,

CARM. XVI.

Catullus de opprobrio impudicitiae, cuius culpam contraxerit sibi suis carminibus, apud Aurelium et Furium se purgat, dum castum et pium poetam se profitetur, cui salva castitate salvaque pietate turpiora et foediora molliculis versiculis complecti liceat.

1. 2. *Paedic.* — *et inrum.* accommodate ad *pathice* et *cinaede* pro vulgari: ego male vos habebo et tractabo; *pathici* et *cinaedi*, qui muliebria patiuntur.

6. *necesse est*, sc. esse castos. Vita scilicet poetarum libera et aliena esse potest a lascivia et nequitia, quae expressa est in eorum carminibus. Ovid. Trist. II, 354.

7. *salem*, salse et facete dictorum laudem et suavitatem.

8. *molliculi*, lasciviores, sive molliorum amorum sensus et vim excitantes.

9. *quod pruriat*, libidinis pruritum.

10. *Non pueris*, qui sponte aestu libidinis corripiuntur, *sed his pilosis*, *Qui*, sed his, qui annis pilisque obsiti nequeunt cett. Tibull. I, 8, 31. 32. *Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent Ora, nec amplexus aspera barba terit.* — *lumbos duros*, effoetos.

12. *millia multa bas. leg.* legistis de millibus multis basiorum; nempe supr. Carm. V, 10. *cum millia multa* (basiorum) *fecerimus*.

13. *male marem*, cinaedum.

CARM. XVII.

Cum insulsus et stupidus maritus uxorem venustam et in flore aetatis constitutam plane negligeret et aliorum lusibus relinqueret, Catullus rationem, qua istius hominis stupor pelli et excuti posset, in hoc carmine protulit. Putat nempe poeta id fieri posse, si

Et salire paratum habes, sed vereris inepta
Crura ponticuli adsulitantis, irredivivus
Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsulis sacra suscipiantur:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire praecipitem in lutum, per caputque pedesque:
Verum totius ut lacus putidaeque paludis
Lividissima maximeque est profunda vorago.

stolidus iste in Colonia quadam e ponte *longo* (vel, ut malunt alii, *ligneo*) deiectus supinum in gravi coeno derelinquat animum. — Est sane hoc carmen et lepidissimum et elegantissimum. Versus sunt Ithyphallici.

1—7. *O Colonia* cett. Orationis nexus et sensus: O Colonia, tu delectaris quidem ludis in ponte tuo saltando instituendis, sed vereris, ne pons ille corruat *(irredivivus)* haud in pristinum statum revocandus; ede, quaeso, in meam gratiam hoc spectaculum maxime ridiculum; volo nempe municipem meum de ponte tuo praecipitem dare in lutum; *(sic)* quod quidem spectaculum, si edideris, opto, ut ponte bono et firmo utaris. — Quae designetur *Colonia*, in suspicione versatur. *Muretus* intelligit oppidulum prope Veronam, *Scaliger* et *Vossius* Novum Comum. — *ludere*. edi scilicet solebant spectacula ludicra vel saltationes in pontibus. — Pro *longo* dedit *Vossius: ligneo;* est sane sermo de ponte *ligneo*, sed idem saltationis causa debebat esse *longus*.

2. *Et sal. par. hab.* et in promtu tibi est saliendi copia. — *inepta*, infirma, oneri sustinendo imparia, *crura*, fulcra, tigna, quibus pons innititur; *adsulitantis*, apposite ad rem; nam, dum ludentes sive saltantes alterno pede solum ponticuli quatiunt, ponticulus quasi simul saltat, h. e. quassatur et concutitur. Sed sunt, qui metri causa pro *adsulitantis* lectionem Vossii: *asculis* (axiculis, tigillis, perticis) *stantis* defendant. At fulcra illa iam per *crura* expressa sunt. — *irredivivus* (ἀνέγερτος) facete pro: non de integro excitandus h. e. exstruendus, dum deiectus et demersus in aqua vel coeno pons quasi mortuus iacet, nec pristino usui amplius inservire potest.

4. *Ne supinus* (ὕπτιος, cadendo inversus) *eat*, praeceps ruat. — *cavaque in palude. cavus* epitheton ornans, cui opponitur *solidus*. Sic *cavae undae* infr. XCV, 5. *cava flumina* Virg. Georg. I, 326. *palus cava* Ovid. Met. VI, 371.

5. *Sic* cett. de hac particula et loquendi formula, qua affertur conditio, sub qua aliquid optatur vel expetitur, cf. Hor. Od. I, 3, 1. Virg. Eclog. IX, 30. et X, 5. Tibull. I, 4, 1. — *bonus pons*, firmus et solidus.

6. *Salisubsulis*, Martis sacerdotibus, qui suscepta Martis sacra sursum subtusque salientes, h. e. tripudiis et saltationibus celebrare solebant; vox ad rem facete exprimendam a poeta, ut videtur, ficta et composita.

7. *Munus hoc — maximi risus*, hoc spectaculum vel maxime ridiculum; spectacula gladiatoria, ab Aedilibus muneri data populo, saepe, ut constat, apud Ciceronem simpliciter dicuntur *munera*.

10. *ut*, ubi, ut supr. XI, 3.

Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Quoi cum sit viridissimo nupta flore puella,
Et puella tenellulo delicatior haedo,
Asservanda nigerrimis diligentius uvis:
Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni,
Nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus
In fossa Ligurî iacet subpernata securi,
Tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam:
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in gravi derelinquere coeno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

13. *in ulna tremula*, tremulo motu huc illuc vel alternis motibus agitata; *tremulae palmae* apud Calpurn Eclog. X, 30.

15. *Et puella*, supple: *quidem*, quod nonnunquam omitti solet. — *delicatior*, mollior; Cic. de Orat. II, 64. *cum haberet filium delicatiorem.* Ad Attic. I, 19. *libidinosa et delicata iuventus.* Theocr. Idyll XI, 20. de Galatea *ἁπαλωτέρα δ' ἀρνός* et Ovid. Met. XIII, 791. *tenero lascivior haedo.*

16. *nigerrimis uvis.* niger uvarum color maturitatis signum est. Columell. XI, 2, 69. *naturalis autem maturitas est, si, cum expresseris, quae acinis celantur, iam infuscata et nonnulla propemodum nigra fuerint.*

17—19. *uni*, antique pro: *unius.* — *Nec se sublevat* cett. nec se promovet ex loco semel occupato, sed iacet immobilis velut alnus cett. — *Liguri*, fossae, ut videtur, domini. — *subpernata* vel *suppernata* explicant: succisa, sicuti porcorum succidi solent femina, sive *pernae*. Sed quis ferat hanc a porcis ad caesas arbores translatam imaginem? Sine dubio *subpernata* est lectio corrupta. Mihi in mentem veniebat: *superne icta*; arbores enim caeduntur super radices, vel super solum erectae, ergo superiore earum parte; ex caesa autem arbore fit *truncus*, qualis fuit homo, de quo sermo est. Quod nisi placet, corruptae lectioni emendandae operam dent me acutiores.

21. *Talis iste meus stupor*, tam immobilis iste, quem dico, homo stupidus.

23. *pronum*, praecipitem.

24. *Si pote* cett. si fieri potest, ut stolidus iste repentino e ponte casu veternum *excitet*, h. e. ex corpore emoveat, excutiat, dispellat.

25. *in gr. coen.* — *coenum* dicitur *grave*, quod immersos gravat et tenaciter iis adhaeret.

26. *Ferream ut soleam mula*, supple: *derelinquit.* Ergo veteres quoque mularum et equorum ungulas armare et praemunire solebant *soleis ferreis*, quarum opera illi per vias saxosas vel scopulosas fortius et firmius incedere possent.

CARMEN XVIII.

AD HORTORUM DEUM.

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape.
Nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

CARMEN XIX.

HORTORUM DEUS.

Hunc ego, iuvenes, locum, villulamque palustrem,
Tectam vimine iunceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi,

CARM. XVIII.

Tria sequentia poematia postliminii iure Catullo vindicarunt *Marius Victorinus de Art. Gramm.* IV. p. 2598. *Atilius Fortunatianus* p. 2675. *Terentius Maurus* p. 2444. edit. *Putsch.* et alii. Nec id factum est iniuria. Spirant enim illa Catulli et ingenium et elegantiam. Eadem leguntur in *Priapei.* in *Catalect. Vet. Poet. Scalig.* c. 86. et in *Anthol. Lat. Poet. Burm. Sec.* VI, 85. p. 567, ubi *Burm. Sec.* de metro Ithyphallico, quo Carm. prim. et sec. compositum est, disputat; poematium tertium constat puris Iambis. Ceterum pauci versus poematii primi complectuntur solemnem consecrationem et dedicationem sacelli, quo Priapus Lampsaci, ubi ille et natus et educatus esse traditur, colatur colendusque sit.

2. *Qua dom. t. Lampsaci est,* ibi, ubi, ea regione, qua (ὅπῃ) sedem tuam sive domicilium habes, nempe Lampsaci. — *domus.* sic fons *Albunea*, in quo eiusdem nominis nympha sedem vel domicilium suum habuisse fingitur, *domus Albuneae resonantis* vocatur apud Horat. Od. I, 7, 12. — *Lamps.* Cicero in Verr. I, 24. *Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, in primis Asiae provinciae clarum et nobile.* Hinc *Priapus* Virgilio Georg. IV, 111. dicitur *Hellespontiacus.* Nec defuerunt, qui Priapum, ut deum navigationis tutelarem, in Hellesponto cultum fuisse contenderent.

4. *ostreosior*, ostreis abundantior; praecipue Abydus in ora Hellespontiaca ostreis abundasse dicitur.

CARM. XIX.

Postquam Priapus de cura, qua pauperem villulam, cuius se custodem profitetur, beatiorem usque quotannis reddere studuerit, verba in hoc carmine fecit, causam huius intentioris custodiae repetit a dominorum villae, patris et filii, pietate, qua rite ab illis cultus et variis muneribus ornatus sit. — Sub fine Priapus rapaces pueros a villae hortulo ad ditioris vicini hortum se proripere iubet.

1—4. *Hunc ego* cett. Iunge et explica: *Ego, quercus arida, rustica conform. sec.* (qui ex quercu arida per rusticam securim factus et conformatus sum Priapus) *hunc locum villulamque* cett. *nutrivi*, iis, quae fecunditati faverent, alui;

Nutrivi, magis et magis ut beata quotannis.
Huius nam Domini colunt me, Deumque salutant,
Pauperis tugurii pater filiusque*
Alter, assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa asperaque a meo sit remota sacello:
Alter, parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu', et tenera virens spica mollis arista:
Luteae violae mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitae, et suave olentia mala;
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi, sed tacebitis, aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella,
Pro queis omnia honoribus haec necesse Priapo
Praestare, et domini hortulum vineamque tueri.

fovi eam, et mala ab ea averti (Horat. Od. IV, 5, 18. *Nutrit rura Ceres*), *magis et magis ut beata quotannis*, scil. fieret. Priapus scilicet, narrans beneficia, a longo inde tempore villae illi tributa, alloquitur iuvenes, qui qualem curam deus huic loco impenderit, ignorabant. — *caricisque*. *carex*, iuncorum genus (nos: *Ried-*, *Schilf-Gras*) admodum durum et acutum, quo in manipulos collecto villarum tecta construi solebant. — *filiusque**. ad hanc lacunam explendam protulit *Scaliger coloni*, *Vossius tenellus*. Ipse olim coniiciebam: *patronum*.

6. *Alter*, *assidua colens diligentia*, repete: *me*.

9. *parva ferens manu* cett. quis est, quem gravissima huic carmini ludicro intexta sententia, „munera parva quidem paupere manu sed largissima voluntate oblata diis esse gratissima," non suavissime afficiat? In eandem sententiam Horat. Od. III, 23, 13. *Te nihil attinet Tentare multa caede bidentium Parvos coronantem marino Rore deos fragilique myrto. Immunis aram si tetigit manus, Non sumtuosa blandior hostia Mollivit aversos Penates Farre pio et saliente mica.* Ovid. ex Ponto IV, 8, 39. *Nec, quae de parva Dis pauper libat acerra, Tura minus, grandi quam data lance, valent.*

10. *picta*, variis florum coloribus distincta; in Virgilii Culice 69. *Florida tellus gemmantes picta per herbas.*

11. *Primitu'* refer ad flores, e quibus, primo vere natis, corolla nexa est. *Primitu'* prisca forma pro: *primitus*, sed Vir Illustrissimus *Hermannus*, qui in metrorum doctrina tabernaculum quasi collocavit, defendit *primitus*, in *Element. Metr.* p. 575. probante Celeberrimo *Nobbio de metris* II, 29.

14. *educata* eleganter pro: matura; maturitatem enim trahunt uvae sub umbra pampinea a nimio solis colore defensae. Infr. LXII, 41. de flore: *Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber.*

15. *sed tacebitis*, sc. in re sacra.

16. *linit*, imbuit, inficit.

17. 18. *Pro queis* cett. pro quibus honoribus Priapus haec omnia, tam hortulum, quam vineam domini, custodire et tuta praestare debet.

Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus.
Inde sumite; semita haec deinde vos feret ipsa.

CARMEN XX.

HORTORUM DEUS.

Ego haec, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus,
Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Herique villulam hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole fervido,

20. *neglig. Priap.* Priapus iam dicitur *negligens*, quod non curabat, quod curare debebat, h. e. non abigebat fures, quos abigere debebat. Sic supra XII, 3. *linteorum negligentiores* dicuntur, qui linteis servandis non invigilant.

21. *Inde sumite*, minus enim rei alicuius sentitur damnum, si particula tantum e rerum copia aufertur. Tibull. I, 1, 33. 34. *At vos exiguo* (haud numeroso) *pecori, furesque lupique, Parcite; de magno est praeda petenda grege.* — *haec*, digitum intendit Priapus in semitam. — *deinde*, inde, ex horto divitis.

CARM. XX.

En artem vere admirabilem, qua Catullus, uti in Carmine superiore, Priapum, metro Ithyphallico in Iambicum mutato, loquentem inducit de divino suo in hortis munere, et de divino, quo ab hortorum et villarum dominis mactetur, honore. Sub fine, ut in carmine praecedente, minas ad fures ex hortis in fugam coniiciendos satis obscenas iacit. Compara cum hoc carmine *Burmanni Anthol.* in *Lus.* Carm. LXXXIV. p. 567., ubi Priapus pariter enumerat munuscula, quae pro anni euntis tempore ei offerri solebant.

1. *arte rustica*, in Carm. sup. v. 3. *rustica securi.*

2. *arida populus*, ego deus ex ligno aridae populi conformatus; in Carm. super. v. 3. ex *arida quercu.*

3. *sinistra.* hanc vocem ob longam litteram *a* in ablativo metrum repudiat; *Muretus* igitur eam ad *populus* refert et explicat: e regione ad sinistram sita. Sed sic ipse locus, quem vox *sinistra* post *Agellulum hunc* occupat, est et manet sinister. *Scaliger* tentabat: *sinistera, ante quem vides*; alii alia protulerunt. Ego olim paulo audacius coniiciebam: *Agellulum, ad sinistram abinde quem vides.* Ne multa, *sinistra* est vox depravata. Lenior et orationi accommodatior est fortasse haec, quae nunc mihi in mentem venit, corrigendi ratio: *sub ora tute quem vides,* — *quem sub ora*, h. e. ante oculos, in propinquo vides.

5. *Tuor*, verbum Lucretianum pro *Tueor.* — *manus malas*, quae male aliorum fructibus hortensibus iniiciuntur, rapaces.

6. *corolla picta.* cf. Carm. sup. ad v. 10.

7. *rubens* designat subrubrum et flavum illum colorem, quem aristae maturescentes sole fervido induunt et ostendunt.

Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera,
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit aere dexteram,
Tenella, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem.
Proin, viator, hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis. Hoc tibi expedit:
Parata namque crux, sine arte mentula.

9. *glauca oliva.* oliva, quia sparsa et distincta est colore subviridi, caeruleo vel caesio, ita quidem, ut simul adspersum sit aliquid albi coloris, dicitur *glauca*, quod quidem epitheton tanquam singulare tribuerunt quoque *olivae* Stat. Thebaid. II, 99. Claud. in Eutrop. II, 271. et alii.

10. *capella delicata*, lasciva, petulans, propensa ad faciendas delicias. Sic supr. XVII, 15. *puella tenellulo d e l i c a t i o r haedo.*

11. *adulta lacte ubera*, eleganter pro: ubera lacte distenta vel tumentia; *ubera* enim in pascuis quasi adolescunt, h. e. excrescunt. Sed non ipsa ubera e villis in urbem *portantur*, sed lac ex uberibus expressum.

12. *Meisque* cett. Priapus ea, quorum tantum custos et deus tutelaris erat, lepide sua facit, ut v. 10. *Meis pascuis.* Ceterum diligenter expendenda et percipienda est orationis venustas, qua Catullus expressit hanc vulgarem sententiam: et agnus ex ovilibus meis in urbem deductus vel compulsus domum redire sinit venditorem pecunia, pro agno vendito accepta, onustum. Hic locus Virgilio quoque ita arrisit, ut eum imitaretur in Eclog. I, 36. *Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.*

14. *Tenella.* hanc lectionem, quae debetur *Dorvillii* ingenio, pro vetere lectione *Tenerque* recepit Vir Clarissimus *Silligius*, quem secutus sum. Nec incommoda est haec lectio. Nam, quod *Muretus* contendit, vocem *tener* iam in genere feminino positam esse, id, cum nullum usquam apud veteres scriptores de voce *tener* in genere feminino usurpata exemplum exstet, nemini facile probabile videbitur. Sed recepta quoque lectio ob nimiam inter *Tenerque* et *Tenella* dissimilitudinem, vel ob quatuor litterarum immutationem et ob copulam *que* recepta lectione deletam movere debet de eius probabilitate dubium. Equidem lectionem mihi invenisse videor, quae non solum ad formam corruptae lectionis *Tenerque* proxime accedit, sed etiam rei, de qua sermo est, egregie respondet. *Vaccula*, quae a matris latere abducitur, tenaciter obniti solet sese abducturo; mater autem, dum hoc fit, *mugit.* Itaque reluctans *vaccula* aptissime nunc vocatur *tenax*, sicuti apud Livium XXXIX, 25. *equus, non parens frenis asperioribus*, simpliciter dicitur *tenax*, et apud Ovid. Amor. III, 4, 13. *Vidi ego nuper e q u u m, contra sua frena t e n a c e m.* Vide igitur, an bene ad rem pro corrupta lectione *Tenerque* levi mutatione legendum sit: *T e n a x q u e.*

17. *sorsum*, manum seorsum, h. e. seiunctam et aversam a furto fructuum hortensium habebis.

18. *crux*, poena, quae a servis

Velim pol, inquis: at pol ecce, villicus
Venit: valente cui revulsa brachio
Fit ista mentula apta clava dexterae.

CARMEN XXI.

AD AURELIUM.

Aureli, pater esuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis,
Paedicare cupis meos amores;
Nec clam: nam simul es, iocaris una,
Haeres ad latus, omnia experiris.
Frustra: nam insidias mihi instruentem
Tangam te prior inrumatione.
Atqui, si id faceres satur, tacerem.
Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Ah! meus puer et sitire discet.

sumi solebat. — *sine arte.* supple ex versu primo: *fabricata.* est vero *sine arte* supplementum *Mureti.*

19. *Velim pol.* libidinosa professio.

CARM. XXI.

Catullus in hoc poematio Aurelium ab amoribus pueri, quem ipse amabat, minis, quales ex ore hominum proiectae pudicitiae mitti iacique solent, avertere et absterrere studuit. Pertinet igitur hoc poematium ad ea, quae Catullus non studiose elimavit, sed subito deproperavit chartisque incuriosius illevit. Comparetur imitatio Martialis I, 93.

1. *pater esuritionum*, quemadmodum apud Horatium convivator venerabili nomine *coenae pater*, ita nunc Aurelius, homo vel avarus et sordidus, vel laborans inopia, salse *esuritionum pater* vocatur.

5. *Nec clam*, sed palam. — ad *simul es* et *iocaris* supple: cum puero meo.

6. *omnia experiris*, tentas omnia, quibus puerum meum ad libidinem pellicias.

7. *mihi*, nempe libidinis apud puerum meum exercendae causa.

9. *satur*, non esuriens; esuriunt autem homines ob rerum inopiam. —*tacerem*, ferrem id facilius; ideo scilicet, quia largiter cibis se invitantes multo maiore ad libidinem feruntur impetu.

11. *Ah! meus puer.* hic locus omnes fere interpretes ad se emendandum quasi convocavit. Particula *Ah*, pro qua alii dederunt *nae* vel *vae*, bene respondet verbis praecedentibus: *Nunc ipsum id doleo.* Ceterum ad verba *Ah! meus puer* tanta e veteribus codicibus et libris prolata est lectionum varietas, ut iis cognitis multo incertior sis, quam ante. Alii legunt *Ah! me me;* alii *Meus iam* vel *Meus me;* alii *Nae meus* vel *Vae meus;* alii *Meus mi;* alii *Una meus; Handius* denique violento conatu *Mellitus;* sed ohe! iam satis; res ipsa salva est. Iunge: *Nunc ipsum id doleo, quod puer meus ah!* (vel, si mavis: heu!) *esurire et sitire* (apud Aurelium) *discet.*

Quare desine, dum licet pudico,
Ne finem facias, sed inrumatus.

CARMEN XXII.

AD VARUM.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homo est venustus, et dicax et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata; chartae regiae, novi libri,

12. 13. *Quare desine* cett. Sensus: Quare desine ad latus pueri mei haerere et omnia experiri, dum tibi, ut pudico, licet desinere, ne desinas tandem non amplius pudicus, sed irrumatus.

CARM. XXII.

Catullus in hoc carmine ante oculos ponit vivis coloribus expressam imaginem mali poetae *Suffeni*, vel, ut alii scribunt, *Fuffeni*, qui, praeterquam quod venustate et dicacitate placere studebat, brevissimo temporis spatio ingentem versuum copiam temere effundere, eosque non vitiis, quibus scatebant, purgatos vel correctos, sed externis tantum ornamentis magnifice condecoratos in lucem protrudere solebat. — At, dum ridet Catullus *Suffenum*, obversantur eius animo alii homines Suffeno simillimi. Idem evenit Catulli lectoribus. Nam quod addit ille v. 20. *Suus cuique attributus est error*, quotidiana satis confirmat experientia.

2. *venustus*, qui externo corporis cultu, ornatu et gestibus formam, qua pulchritudinis laudem venetur, induit et repraesentat; *dicax*, qui loquax magis, quam disertus, ut videri vult, est, scurra; *urbanus*, qui arte quaesita ad elegantiores mores se componit.

5—8. *Nec sic, ut fit* cett. Sensus: nec, ut solent boni et diligentes scriptores, quae scripsisset, in palimpsesto relecta et correcta; statim enim illa in lucem emittit; adsunt, qui lectores alliciant, festivi comites, *novi libri, novi umbilici* cett. *Palimpsestus* est membrana, vel charta pergamena, in quam scripta tanquam, ut ita dicam, *in immundum* coniiciebantur, eo quidem consilio, ut scriptor, antequam ea publicarentur, *relegeret*, recognosceret, et minus recta eradendo corrigeret. Lectionem: *relata in palimpsesto* pro: *in palimpsestum*, male Vir quidam Doctus defendit; *referre* enim *aliquid in libello aliquo* est: enarrare, proferre, exponere aliquid in libello aliquo; at *referre aliquid in libellum* est: coniicere, transferre, transscribere aliquid in libellum. Quodsi igitur vera sit lectio *relata*, pro *in palimpsesto* scribendum est *in palimpsestum*. Iam *Heinsius* in *not.* ad Cat. pro: *relata* tentabat: *releta*, ut sit: erasa, deleta; modo vox *releta* vetustatis auctoritate vel exemplo aliquo confirmari possit. Suspicor igitur pro *relata* legendum esse vel *relecta*, h. e. recognita, retractata, Ovid. Remed. Am. 717. *Scripta cave relegas blandae servata puellae: Constantes animos scripta relecta movent;* vel *retexta*, ut locutus est in simili re Horat. Sat. II, 3, 2. *Sic raro scribis, ut toto non quater anno Mem-*

Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec cum legas, tum bellus ille et urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poemata attigit; neque idem unquam
Aeque est beatus, ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur; neque est quisquam,

branam poscas, scriptorum quaeque retexens, scil. in *palimpsesto.* — *chartae* dicuntur *regiae*, ob splendidiorem et ampliorem earum formam. — *libri* ob singularem, quam externa eorum species ostendit, elegantiam dicuntur *novi.* — *umbilicus*, qui translate de media alicuius rei parte dicitur, iam est bacillus, circa quem librorum chartae vel membranae convolvebantur; hinc ducta est loquendi ratio: *librum aliquem ad umbilicum adducere*, de libro perfecto vel finito, qui bacilli ope convolvitur. Umbilici extremae dextra sinistraque partes appellabantur *cornua.* — *lora rubra*, quibus colligebantur et constringebantur volumina. — *membrana directa plumbo*, in qua versus ad lineas stylo plumbeo signatas uno eodemque ordine atque intervallo accuratissime scripti et exacti sunt; de *stylo illo plumbeo*, qui Graecis dicitur *μόλυβδος*, vid. praeter Salmas. ad Sol. 917. et Funccium de *Scriptura Vett.* p. 136. *Amicissimi Iacobsii Animadvv.* ad Anthol. Graec. Vol. II. P. III. p. 375. — *pumice omnia aequata.* cf. supr. ad I, 2.

9. *bellus ille.* Martial. III, 63. *Cotile, bellus homo es; dicunt hoc, Cotile, multi: Audio, sed quid sit, dic mihi, bellus homo? Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines, Balsama qui semper, cinnama semper olet; Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat, Qui movet in varios brachia volsa* (malim *versa*) *modos.*

10. *un. capr.* — *unus* significanter nonnunquam tam in laudem, quam in contemtum, dicitur is, qui prae ceteris in aliqua re eminet, vel qui in genere suo est *unus;* Cic. de Orat. I, 29. *qui sicut unus* (prae ceteris bonus) *paterfamilias his de rebus loquor.* Itaque *caprimulgus unus* iam est: omnium caprimulgorum quasi princeps, homo abiectissimus.

11. *mutat* sc. se. Livius III, 10. *ut nihil odor mutaret*, ubi de verbo *mutare*, sine se passive posito, ingentem exemplorum silvam proposuit *Drakenborchius.*

13. *hac re*, intellige scurrilitatem; *tritius*, vulgarius, contemtius.

15. *Simul*, simulac.

17. *Tam gaudet in se. gaudere in se*, intimo animi recessu gaudere. Ceterum hoc Suffeni gaudium, quo non raro mali poetae aliique scriptores, qui sibimet ipsis mirifice placent, exsultare et efferri solent, Horat. quoque ad Catulli exemplum descriptum dedit, Epist. II, 2, 107. 8. *Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro, Si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati.*

18. *idem fallimur*, *ταὐτὰ σφαλλόμεϑα*, eundem errorem erramus,

Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique attributus est error,
Sed non videmus manticae quod in tergo est.

CARMEN XXIII.

AD FURIUM.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis,
Verum est et pater, et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt,
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, et frigore, et esuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?

nos omnes pariter, ac Suffenus, *φιλαυτίᾳ* laboramus.

20. *Suus quoiq. attr. est error.* Horat. Sat. I, 3, 68. *Nam vitiis nemo sine nascitur.* Prop. II, 22, 17. *Unicuique dedit vitium natura creato.*

21. *Sed non videmus* cett. notam Aesopi de duabus peris fabulam tractavit Phaedr. IV, 10. cf. Hor. Sat. II, 3, 299. et Pers. IV, 24.

CARM. XXIII.

Hoc carmen ad carmina cedro linenda equidem referre nolim. *Furium* scilicet, hominem summa rerum inopia laborantem, tum eiusdem sortis illius parentem et novercam, denique quidquid in foedae paupertatis comitatu esse solet, petulanter in hoc carmine ridet et exagitat. cf. Martial. XI, 32. *in Caecilium.*

2. *cimex*, pro: lectus, in quo abominabilis bestiola *cimex* delitescere solet; hinc Catulli imitator, Martialis XI, 32, 1. *Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus.*

4. *silicem comesse.* per silicem intellige durissimos cibos, quos patris et novercae dentes sicuti silicem confringere possent.

6 *coniuge lignea* (noverca). corpus, quod propter ciborum penuriam exaruit, cum *ligno arido* comparatur.

12. particula *atqui*, quae omnem orationis nexum turbat, sine dubio corrupta est. An scripsit Catullus:

Non casus alios periculorum,
Vos, qui corpora cett.

14. *Sol. frig. esur.* tam propter continuos labores aestate et hieme exantlatos, quam propter ciborum inopiam.

A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, et mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est,
Nec toto decies cacas in anno,
Atque id durius est faba et lapillis;
Quod tu si manibus teras fricesque,
Non unquam digitum inquinare possis.
Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quae soles, precari
Centum desine; nam sat es beatus.

CARMEN XXIV.

AD IUVENTIUM PUERUM.

O qui flosculus es Iuventiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis,
Mallem divitias mihi dedisses
Isti, quoi neque servus est, neque arca;

16. *A te sudor abest,* arida enim corpora minus sudare solent corporibus pinguioribus et obesioribus.

17. *Mucus,* de humore, quo nasus sese exonerat, crassiore, *pituita* de nasi humore liquidiore.

19. *purior salillo est.* ut sal ab omni sorde purgatus purusque conspiceretur, salinum quoque purum, mundum et bene tersum in mensa apponi solebat. Horat. Sat. I, 3, 14. *Sit mihi mensa tripes et Concha salis puri.* et Od. II, 16, 14. *Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum.*

26. *quae soles,* sc. precari; precabatur autem Furius centum sestertia, sive ut illa mutua acciperet, sive ex voto, quale paupertas exprimere solet. — *desine,* quia iterum iterumque idem precando iam molestus fuerat.

CARM. XXIV.

Iuventium, puerum tam corporis venustate quam gentis nobilitate florentissimum, carpit poeta de animi levitate, qua ille aetatis suae florem depascendum tradiderit Furio, quem ut hominem in summa mendacitate misere se habentem in praecedente carmine descripsit.

1. *flosculus.* tenera Iuventii aetas eleganter comparatur cum flosculo, qui in horto aliquo natus sensim sensimque succrescit, et horti decus extollitur.

4. *mihi* abundat, ut in patrio sermone: „*ich wollte, du hättest mir lieber diesem Habenichts Geld gegeben.*" Et sic *mihi, tibi, sibi, nobis, vobis,* in omnibus fere linguis pro earum ingenio abundant.

Quam sic te sineres ab illo amari.
Qui? non est homo bellus? inquies. Est;
Sed bello huic neque servus est, neque arca.
Haec tu, quam lubet, abiice elevaque;
Nec servum tamen ille habet, neque arcam.

CARMEN XXV.

AD THALLUM.

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido senis, situque araneoso,
Idemque Thalle, turbida rapacior procella,
Cum de via mulier aves ostendit occinentes,
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,
Sudariumque Setabum, catagraphosque Thynos,

6. *sic*, tam ignominiose; quasi ignominiam sibi contrahat, qui ab homine paupere se in amores induci patiatur.

7. *bellus*, cf. supr. XXII, 9.

9. *quam lubet*, prouti vel quantum lubet, utcunque placet. — *abiice*, vilipende; *elevaque*, et pro re leviore habe.

CARM. XXV.

Hoc carmen referendum est ad ea Catulli carmina, quae non ad sensum honestatis vel ad obrussam vitae castioris, sed ad aetatis, qua illa scripta sunt, ingenium diiudicanda sunt. Thallus in hoc carmine non tantum describitur ut puer mollissimus, sed etiam notatur ut puer rapax, et quidem tam proiectae impudentiae, ut rapta palam habere et tanquam avita publice ostendere soleret. Catullus igitur hunc puerum furto sibi subducta pallium et alia remittere iubet, minas, nisi id statim fiat, iaciens acerbissimas.

1. 2. *Thallus*, videtur esse nomen fictum a θαλλός (*germen olivae vel planta virens*). — *anseris medullula*, noli cogitare de medulla, quae inest ossibus, sed de plumis illis mollissimis, quae apud anseres sunt interiores et ceterarum plumarum quasi medulla; nos: *Flaumenfedern*. Conf. Lus. vel Priap. LXV, 1. — *imul. oric.* Cic. ad Qu. Fr. II, 15. *auricula infima mollior*.

3. *situque araneoso*, et mollior aranearum tela, quae paulo sublimius dicitur *situs araneosus*, quia araneae opus, quod texunt, in locis desertis et situ obtectis suspendere solent.

5. *Cum de via mulier av. ost. occinentes*. pro *oscitantes* unius Cod. auctoritate dedi lectionem: *occinentes*. — *occinere* dicuntur aves, quae faustum vel infaustum omen (h. l. *turbidam procellam*) cantu edere vel portendere putabantur. Eiusmodi aves mulieres (*de via*) circumforaneae pro mercede ostendere solebant. — *ostendere* cum delectu; est enim verbum augurale.

6. *quod involasti*, quod furtim celeri manu abstulisti; verbo *involare* inest notio celeritatis, qua aliquid petitur.

7. *Sudariumque Setabum*, cf. supr. ad XII, 14. — *catagraphosque Thynos*. ex his duabus voci-

Inepte, quae palam soles habere tanquam avita.
Quae nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte,
Ne laneum latusculum, natesque mollicellas,
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
Et insolenter aestues, velut minuta magno
Deprensa navis in mari vesaniente vento.

CARMEN XXVI.

AD FURIUM.

Furi, villula vestra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favonî,
Nec saevi Boreae, aut Apeliotae,
Verum ad millia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem!

bus interpretes varia, quae iis Catullum designasse autumabant, pugillares, annulos et nescio quas alias rerum formas elicuerunt et effinxerunt. Vide ipsos docte et copiose in hanc rem ad h. l. disputantes. Ego hunc locum simpliciter ita interpretor. *Κατάγραφος* est: descriptus, depictus, delineatus; sensus igitur: remitte mihi sudarium, et Setabum et distinctum imaginibus Bithynorum acu in illo sudario pictorum.

9. *reglutina*, significanter pro: *redde;* quemadmodum enim res glutine firmatae et compactae non facile resolvuntur, ita rapta e raptorum unguibus non nisi vi adhibita evelluntur vel extorquentur.

10. *laneum*, molle, tenellum, quale est latus pueri; *lana* autem natura sua *mollis* est. Ovid. Fast. II, 742. *Ante torum calathi lanaque mollis erant.*

11. *Inusta*, significanter pro: iniecta, immissa, quia flagellorum ictus *urunt* punguntque; sic *loris uri* (pro: caedi) apud Horat. Sat. II, 7, 58. et Epist. I, 16, 47. — *conscribillent*, vibicibus notent varientque. Plaut. Pseud. I, 5, 131. 2. *Quasi in libro cum scribuntur calamo litterae, Stilis me totum usque ulmeis conscribito;* et sic apud Hom. Iliad. IV, 139. ἐπιγράφειν χρόα.

12. *aestues.* — *aestuare*, ut apud Graecos *θύειν*, iam dictum esse pro: huc illuc tanquam maris aestu agitari, satis docet adiecta comparatio cum navicula, quae mari aestuante et vento furente huc illuc iactatur. — *Deprensa. deprehendi* verbum proprium de navibus, quae subito in mari tempestate opprimuntur.

CARM. XXVI.

Furius, omni rerum inopia (vid. Carm. XXIII.) et aere alieno pressus, undique impugnabatur a creditoribus. Hic impetus comparatur cum impetu ventorum ex omnibus coeli regionibus ruentium. — Alia ratio, qua rei, in hoc poematio exagitatae, pellatur obscuritas, mihi quidem non succurrit.

1. *vestra*, a te tuisque possessa; lectio *vestra* pro vulgata lectione: *nostra*, nititur plurium MSC. auctoritate, teste *Vossio.* — *ad*, adversus; *opposita est* cum delectu pro: exposita, quia bona quoque *opponi*, pro: oppignerari, dicuntur.

CARMEN XXVII.

AD POCILLATOREM PUERUM.

Minister vetuli, puer, Falerni,
Inger mî calices amariores,
Ut lex Posthumiae iubet magistrae,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphae,
Vini pernicies, et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

CARMEN XXVIII.

AD VERANNIUM ET FABULLUM.

Pisonis comites, cohors inanis,

CARM. XXVII.

Poeta, ut hilaritati indulgeat, imperiose pincernam calices vetulo Falerno implere iubet, aquae potum severioribus relicturus.

2. *Inger*, antique pro: ingere. — *ingerere* pro: subministrare, porrigere. Nemes. Cyneg. 5. *Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno Ingerit.* — Si ex causa idonea vox *Inger* emendanda videretur, in promtu foret: *Affer;* Horat. Epod. 9, 33. *Capaciores affer huc, puer, scyphos;* sed nihil mutandum. — *amariores*, refer ad vinum Falernum, cui, sicut aliis vinis vetustioribus, inest grata quaedam amaritudo. Hinc Horatio vinum *Falernum* dicitur *severum*, Od. I, 27, 9.

3. 4. *Ut lex Posth.* cett. Mos ferebat apud Romanos, ut in laeta compotatione unus (utar verbis Horatii Od. I, 4, 18.) *regna vini talis* (talorum iactu) *sortiretur*, qui leges daret et ad eas potantes regeret. Hic vocari solebat vel *rex*, vel *strategus*, vel *modimperator*, vel *magister* cett.; ipsum munus autem *regnum* vel *magisterium*, quod, ut ex hoc loco discimus, delatum quoque est ad mulierculas. Iam nostra *magistra* vel *regina* est *Posthumia*, quae tam largiter se vino ingurgitare solebat, ut vini tumore superaret acinam succo mustaceo vel vinaceo tumentem vel turgentem. *Ebriosa*, vino dedita; potest esse aliquis *ebrius*, vino madens, nec tamen *ebriosus*, vinolentiae deditus.

5. 6. *hinc ab. lymph. Vini pern.* vult igitur poeta merum bibere, non vinum aqua temperatum, quasi admixta aqua sit vini *pernicies*, h. e. vinum corrumpat. At Propertius II, 23, 27. laudat vinum aqua temperatum: *Ah pereat, quicunque meracas reperit uvas, Corrupitque bonas nectare primus aquas.* — *ad severos*, vini potu abstinentes; et sic abstemios quoque vocat Horat. Epist. I, 19, 9. *Forum putealque Libonis* (aquam) *Mandabo siccis, adimam cantare severis.* — *hic mer. est Thyon.* a nobis nil nisi merum bibitur. *Thyoneus*, Bacchus, cuius mater, in coelum relata, *Θυώνη* vocata est.

CARM. XXVIII.

Catullus, cum eius amici, Verannius et Fabullus, qui comites praetorem Pisonem, hominem sor-

Aptis sarcinulis et expeditis,
Veranni optime, tuque, mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa frigoraque et famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli?
Expensum, ut mihi, qui, meum secutus
Praetorem, refero datum lucello:
O Memmi, bene me ac diu supinum
Tota ista trabe lentus inrumasti.

didissimum, secuti erant in Hispaniam, rediissent cum sacculo, non nummis turgente, sed vacuo et inani, eo gravius et acerbius fert doletque eorum sortem, quod ipse olim, praetorem Memmium in Bithyniam comitatus, eandem expertus erat. Sub fine monet amicos, ut in posterum viros nobiles, quales erant praetores Piso et Memmius, aversentur fugiantque.

1. 2. *cohors*, cf. supr. ad X, 10. — *inanis*, quia, nihil plane in provincia lucrata, quod secum portaret non habebat; hinc cohortis *sarcinulae* fuerunt *aptae* et *expeditae*. — *aptis*, commodis, non onere prementibus. — *expeditis*, levioribus, et hinc *arma*, quae ob levius eorum pondus leviore opera tractari possunt, dicuntur *expedita*. Cic. Tusc. Quaest. II, 16. *expeditis armis pugnare*.

5. *Vappa*, homine nequam; *vappa*, proprie vitium vini corrupti et insipidi, iam transfertur ad sordem avaritiae, qua Piso, quidquid esset bonae frugis, comitibus praeripiebat. — Ceterum plures fuere *Pisones*, e quibus duo missi sunt in Hispaniam; alter *Cn. Calpurn. Piso* Quaestor pro Praetore (*cum imperio et dignitate praetoria*), Sallust. in Catil. cap. 18., alter *L. Calp. Piso*, Cic. in Verr. IV, 25. et Liv. Suppl. LXV, 20.

6—8. *in tabulis*, sc. acceptorum et expensorum; in alteram enim tabularum paginam referebantur *accepta*, in alteram *expensa*, h. e. erogata vel *data*. — Sed ut adhuc hic locus interpungebatur vel distinguebatur, sensus sanus ex eo elici non potuit; at, signo interrogationis a me post *lucelli* posito, clara et perspicua in hoc loco sunt omnia; sensus: Ecquidnam lucelli patet vobis (vobis notatum est) *in tabulis?* Profecto non lucellum vel acceptum, sed *expensum;* sicuti idem mihi patet in tabellis, qui in comitatu mei praetoris *datum* (expensum) ad lucellum refero (pro lucello mihi habendum est). — *datum,* expensum. Cic. de Amicit. 16. *ut par sit ratio acceptorum et datorum.*

9. *O Memmi.* huius praetoris, *C. Memmii*, comes fuit Catullus in provinciam Bithyniam, quam, quia ibi lucri faciendi nulla plane erat occasio, Catullus supr. X, 19. vocat *malam provinciam.*

10. *Tota ista tr. lent. inrum.* et v. 13. *verp. fart.* hae locutiones, et aliae apud Catullum, ut *paedicare, inrumare, inrumatus, inrumator, cinaedus* cett., non in sensu proprio accipiendae et explicandae, sed ad impudicum loquendi genus, quod Catulli aetate invaluerat, referendae esse videntur. Itaque tum temporis homines, se *pessime aliquem tractaturos esse* minantes, fortasse se eum *inrumare* velle dicebant. Certe, quidquid sit, haec spurcitiei nota, ut iam supra observavimus, aetatis potius, qua Catullus vivebat, ingenio, quam ipsi adspergenda est.

Sed, quantum video, pari fuistis
Casu; nam nihilo minore verpa
Farti estis. Pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dì Deaeque
Dent, opprobria Romuli Remique.

CARMEN XXIX.

IN CAESAREM.

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi impudicus et vorax et aleo,
Mamurram habere quod Comata Gallia
Habebat uncti et ultima Britannia?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es impudicus et vorax et aleo.

13. *Pete nobiles amicos.* per ironiam peti iubet poeta quod fugiendum sit, consuetudinem scilicet cum nobilibus, dubiam illam et parum frugiferam.

15. *opprobria*, dedecora, nos: *Schandflecke.* Sic Horatius *arborem istam*, cuius casu paene ad Orcum missus esset, Od. II, 13, 4. *opprobrium pagi*, et *Procnen* ob caedem filii Ityos *opprobrium domus Cecropiae* vocat. — *Romuli Remique*, posterorum Romuli Remique, Romulidarum.

CARM. XXIX.

Ratio, qua Catullus agere solebat cum Caesare, fuit sane, ut ex hoc carmine apparet, paulo licentior. Quamquam enim Catullus in eo Caesarem ob Mamurram, eius praefectum fabrûm, cui ille ingentem bonorum, quae turpissime profudit iste nebulo, copiam suppeditaverat, contumeliosis appellavit nominibus: id tamen Caesar tam leniter tulit, ut Catullum eodem die, quo hoc probrosum carmen acceperat, coenae adhibuisse dicatur. Vide Sueton. Iul. Caes. c. 73. sub fine.

2. *Nisi impudicus* cett. nisi qui ipse, ut Mamurra, est impudicus cett. *aleo*, aleator, levissimi ingenii homo, qui bona sua perdit in alea; hinc apud Hor. Od. III, 24, 58. *alea legibus vetita.* Ceterum vocis *aleo* pro vulgata lectione: *helluo*, integritatem confirmat plurimorum MSS. auctoritas.

3. *Comata Gallia*, Gallia Transalpina, in Belgicam, Celticam et Aquitanicam descripta, dicta ita, quia eius populi comam alere et promittere solebant.

4. *uncti*, rerum pretiosarum et magnificarum; *unctum* dicitur, quod in genere suo praestans et praecipuum est, ut in hoc ipso carmine v. 23. cf. supr. X, 11. — *ultima Brit. Britannia*, respectu terrae, a qua Britannia mari est disiuncta, habito dicitur *ultima.* Sic supr. XI, 12. *ultimi Britanni.*

5. *Cinaede.* movit certe Caesar turpis libidinis suspicionem tam *Nicomedis* (ut scribit Sueton. Iul. cap. 49.) *contubernio* et cantu illo, quo triumphantis currum persecuti esse dicuntur eius milites: *Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem*, quam insana illa liberalitate, qua Caesar Mamurram cumulavit immensis muneribus.

Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es impudicus et vorax et aleo.
Eone nomine, Imperator unice,
Fuisti in ultima Occidentis insula,
Ut ista vostra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties?
Quid est? ait sinistra liberalitas,
Parum expatravit; an parum helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc, Galliae, timetis, et Britanniae!

7. *superbus et superfluens*, superbiens et abundans rerum a te acceptarum copia. *Corpus superbum* apud Horat. Sat. II, 2, 109. tribuitur ei, qui superbius se iactat cultus externi magnificentia.

9. *Ut alb. col., aut Adon.*, ut pulcherrimus quisque, tam splendido nitore, ut albus columbus, quam formae venustate, ut Adonis, Veneris deliciae, conspicuus. *Adoneus*, pro: Adonis, ut *Achilleus* pro: Achilles, et *Ulixeus* pro: Ulixes.

12. *Eone nomine*, eone consilio, ideone. — *unice. unicus*, qui in re aliqua sui similem non habet, praestantissimus; qui in re nota appetens est exemplorum adeat *Heins.* ad Ovid. Met. III, 454.

13. *in ult. Occid. insula*, Britannia.

15. *Ducenties*, sc. centena millia sestertiûm. — *comesset. comedere bona*, absumere, devorare, decoquere, abligurire, perdere; et sic passim apud Ciceronem: *rem familiarem, patrimonium, nummos, bona comedere.*

16. *Quid est?* formula de re aliqua elevanda, sive de re, quam parvi momenti esse declaramus; quid tum? — *sinistra*, praepostera, importuna, stulta.

17. *expatravit*, verbum a Catullo, ut videtur, confictum pro vulgari: effudit, profudit, vel, ad versum illum in triumpho Gallico a militibus iactatum (Sueton. Vita Caes. c. 51.), *Aurum in Gallia effutuisti*, pro: effutuit. — *an par. hell.* repetit Catullus vocem *parum*, et quaerit, num *parum* dici possit, quod Mamurrae gula et libido devoraverit.

18. *lancinata*, dissecta, disiecta, dissipata, pro: perdita; *lancinare paterna bona* est idem fere, quod dixit Horat. Sat. I, 2, 62. *rem patris oblimare.*

19. *Sec. praed. Pont.* intellexerim spolia, quae Caesar, devicto Ponti rege Pharnace, reportavit.— *tertia Hibera*, de praeda belli Lusitanici. — *Tagus*, fluvius Lusitaniae; de more, quo poetae de rebus gestis fluviis, in quorum vicinitate illae gestae sint, testimonium denuntiare solent, cf. Hor. Od. II, 1, 33. IV, 4, 38. Virg. Eclog. V, 21. Tibull. I, 7, 11. et infr. LXIV, 358.

21. *Hunc, Galliae* cett. vos, Galli et Britanni, nebulonem istum, bonorum vestrorum decoctorem, extimescitis.

Quid hunc (malum!) fovetis? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, Imperator unice,
Socer generque, perdidistis omnia?

CARMEN XXX.

AD ALPHENUM.

Alphene immemor atque unanimis false sodalibus,
Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:
Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impia fallacum hominum coelicolis placent,
Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu! quid faciant, dic, homines, quoive habeant fidem?

22. *Quid hunc, malum! fovetis?* cur istum (o rem indignam!) curatis et alitis? — *malum*, interiectio, saepius apud Plautum et Terentium obvia, quae irae et indignationi, qua aliquem vel aliquid aversamur, inservit. Ipse Cicero Philipp. X, 9. *Quae (malum!) est ista ratio, semper optimis causis veteranorum nomen opponere?* — *potest*, sc. perficere, designare. Nos similiter: *was kann er anderes, als* cett.

23. *uncta*, cf. supr. ad v. 4. — *Eone nomine*, ut v. 12.

25. *Socer generque*, tu ut socer, et Pompeius ut gener, pro vulgari: tu una cum Pompeio. — *perdidistis omnia*, per bella devastastis omnia.

CARM. XXX.

Miseras querelas fundit in hoc carmine poeta de perfidia, quam, cum in re quadam adversa pessime ab amico Alpheno desertus esset, expertus sit. Quo maior autem fuerat fiducia, quam Catullus in fidei ab Alpheno sibi promissae sanctitate posuit, eo acerbior nunc fuit dolor, quo affligi et macerari debuit Catulli de Alpheni perfidia animus.

1. *false.* — *falsus* iam est homo fraudulentus (*fallax*, v. 4.), qui alios falsa specie, h. e. fraude, circumvenit. Sallust. in Catil. cap. 10. *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud promtum in lingua habere.* Claud. Cons. Honor. IV, 278. *falsus amicis.*

3. *me prodere*, me deserere; sic infr. LXIV, 190. Ariadne a Theseo deserta se vocat *proditam*. Liv. II, 54. *desertam ac proditam causam publicam queri.* Plura exempla vid. apud *Gronov. Observat.* III, 20. et apud *Graev.* ad Cic. pro Flacco cap. 41.

4. *Nec facta impia* cett. Iam Catullus terrere studet Alphenum, divinam poenam, quae maneat homines fallaces, minans. Et haec est illa sententia, quam saepius qui iniurias patiuntur tanquam solatii quoddam genus in illatarum sibi iniuriarum auctores iactare et pronuntiare solent. Eandem expressit Homerus Od. XIV, 83, 84. et plures alii scriptores, vid. *Gatack.* in Advers. Miscell. I, 7. p. 214. et *Rittershus.* ad Oppian. Halieut. II, 687.

5. *Quae* sc. facta coelicolis non placentia, quam perfidiae culpam, *negligis*, pro re levi habes.

6. Pro *dehinc* dedi *Pontani* lectionem *dic.*

Certe tute iubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mî forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos inrita ferre et nebulas aërias sinis.
Si tu oblitus es, at Dî meminerunt, meminit Fides,
Quae, te ut poeniteat postmodo facti, faciet, tui.

CARMEN XXXI.

AD SIRMIONEM PENINSULAM.

Peninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert uterque Neptunus,

7. *animam*, non simpliciter pro: animum, sed pro: me totum, h. e. omne, quod in me viget et spirat. Hinc Horatius Virgilium Od. I, 3, 8. non *animi*, sed *animae dimidium* vocat. Idem Sat. I, 5, 41. de amicis intimis: *animae*, *quales neque candidiores Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.*

9. *retrahis te.* — *se retrahere* plane ut in patrio sermone: *sich zurückziehen.* Horat. Epist. I, 18, 58. *ne te retrahas et inexcusabilis abstes.*

10. *Ventos inrita ferre.* ex nota poetarum imagine *ventis tradi* vel *a ventis discerpi* dicuntur res, quae sunt vanae et irritae. Infr. LXIV, 142. *Quae cuncta aërii discerpunt irrita venti.* Exempla in hanc rem collecta vid. apud *Cerdam* ad Virgil. Aen. IX, 313.

11. *oblitus es*, scil. promissae, cum in amicitiam tuam me induceres, fidei.

CARM. XXXI.

Lectio huius carminis suavissimos sensus excitare imprimis debet in pectore eorum, qui, cum ex longiore peregrinatione ad patrios lares redeunt, et propius propiusque ad eos accedentes vel urbem, vel pagum, vel villam, ubi habitant, prospiciunt, sibi non temperare possunt, quin iuveniliter exsultent et omnibus paene incedant laetitiis. Has percepit, ut canit in hoc carmine, Catullus, cum ille in reditu ex Bithynia iam villam suam in propinquo conspicatus, suavitates, quae se fessum ex itinere ibi manerent, animo praeciperet.

1. *Sirmio*, peninsula, in agro Veronensi ad lacum Benacum sita (ubi villa Catulli fuit), vocatur *ocellus*, quia, sicuti corporis pars praestantissima *oculus*, ita *Sirmio* insularum et peninsularum praestantissima laudatur. Quod nobis est carissimum, id oculis nobis carius esse dicitur. Catull. infr. LXXXII, 3, 4. *multo quod carius illi* (Catullo) *Est oculis, si quid carius est oculis.* Cicero quoque ad Attic. XVI, 6. villulas suas *ocellos Italiae* vocat. Idem de Nat. Deor. III, 38. Corinthum et Carthaginem, urbes praestantissimas, *duos oculos orae maritimae* appellat. Et sic *ὄμμα* vel *ὀφθαλμός* apud Graecos.

3. *fert*, explicui olim: sustinet quasi in tergo, nam mari *νῶτον* tribuitur; res sane postulat: in tutela habet, curat, fovet cett., sed haec notio ex voce *ferre* non sine vi quadam elici potest. An scripsit fortasse Catullus: *effert?* ut sit: ex alto, ex mari et stagnis, in lucem effert, profert, extollit,

Quam te libenter, quamque laetus inviso!
Vix mî ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos, et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete vosque, Lydiae lacus undae:
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

CARMEN XXXII.

AD IPSITHILLAM.

Amabo, mea dulcis Ipsithilla,
Meae deliciae, mei lepores,
Iube ad te veniam meridiatum.
Quod si iusseris, illud adiuvato,
Ne quis liminis obseret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire;
Sed domi maneas, paresque nobis

praecipuis muneribus ornat. — *uterque Neptunus*, tam stagnorum quam maris praeses.

5. *Thyniam*, finitimam vel adiacentem Bithyniae regionem.

7. *solut. cur.* — *curae solutae*, quibus soluti et liberati sumus, quae animum vincire, premere et macerare desierunt.

9. *Lab. fess. ven. lar. ad nostr.* Hor. Od. II, 6, 7. *Tibur — sit modus lasso maris et viarum.* — *labore* sc. itineris et eorum, quae devoranda fuerunt Catullo in Bithynia; cf. supr. X. et XXVIII.

13. *Lydiae lacus undae.* designatur lacus Benacus, cuius *aquae* dicuntur *Lydiae*, quia Rhaeti, ad quos referebatur Verona, originem suam ab Etruscis et hi a Lydis ex vulgari veterum opinione repetebant. Vid. *Heynius* ad Virg. Aen. XI. Excurs. III.

13. *quidquid est domi cachinnorum*, quidquid est domi (apud me) hilaritatis alto risu et laetis clamoribus exprimendae.

CARM. XXXII.

Novum exemplum proiectissimae impudicitiae, quam exhorrescit aetas cultior. Nam versibus obscenissimis Catullus ad libidinem apud Ipsithillam exercendam adventus sui tempus indicit.

1. *Amabo*, per amorem meum te obsecro; *amabo* (ut *amabo te, si me amas*), obsecrandi cum amoris testificatione formula, apud Ciceronem et Terentium saepius obvia. *Amabo iube*, per preces meas iube, iube, quaeso!

5. *lim. obs. tab.* — *liminis tabella* pro ipsa ianua, quae constructa est e tabulis vel tabellis.

Novem continuas fututiones.
Verum, si quid ages, statim iubeto;
Nam pransus iaceo, et satur supinus
Pertundo tunicamque palliumque.

CARMEN XXXIII.

IN VIBENNIOS.

O furum optime balneariorum,
Vibenni pater, et cinaede fili:
Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore:
Cur non exilium malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinae
Notae sunt populo, et nates pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

CARMEN XXXIV.

AD DIANAM.

Dianae sumus in fide,

9. *si quid ages*, ad agendum aliquid parata eris.

11. *pall.* — *pallium* de veste stragula cum *Vulpio* accipere nolim; Romani potius, cum pomeridiano tempore quieti indulgerent, pallio, tunicae superiniecto, obtecti in lecto triclinari ad somnum capiendum se composuisse videntur. — *supinus*, σχῆμα dormientis. Horat. Sat. I, 5, 19. *stertitque supinus*.

CARM. XXXIII.

Vibennios, patrem et filium, vitiis infames Catullus notat. Illum quidem ut hominem furacem, hunc ut hominem turpissimae libidinis traducit, et utrumque in malam rem abire iubet.

1. *optime*, callidissime, versatissime; ergo is quoque, qui in re mala prae ceteris eminet, dicitur *optimus*. — *balnearior.*, fieri enim solebat, ut fures in balneis callidissima fraude vestimenta lavantium subducerent. Plautus in Rud. II, 3, 51. 52. *Qui it lavatum In Balineas, ibi cum sedulo sua vestimenta servat, Tamen surripiuntur.* Cf. Petron. XXX. et ibi *Burm.*

3. *inquinatiore.* eleganter manus dicuntur furto *inquinari*, pollui, contaminari.

5. *malas in oras ire*, in regiones infaustas et pestiferas abire, pro vulgari: abire in malam rem.

CARM. XXXIV.

Apollinem et Dianam a Romanis ut deos salutares, quibus et aëris salubritas, et frugum fertilitas (in hanc enim magnam vim habet *Solis* et *Lunae* clementia), et omnium rerum prosperitas et faustitas deberetur, magna pietate et solemnitate cultos et divinis honoribus affectos esse sciunt omnes, qui Romanae disciplinae cognitione imbuti sunt. Imprimis autem

Puellae et pueri integri;
Dianam pueri integri
Puellaeque canamus.
O Latonia, maximi
Magna progenies Iovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam;
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis;
Tu potens Trivia, et notho es
Dicta lumine Luna.

Apollinis et Dianae laudes insigni pompa celebrabantur ludis saecularibus, in quorum ab Augusto institutorum memoriam exstat divinum illud *Carmen Saeculare*, quod, ut alternis caneretur a puerorum puellarumque choro, cecinit Horatius. Quemadmodum autem hoc Horatii *Carmen Saeculare* ad *Solemnia*, quae in Apollinis et Dianae honorem post centum et decem annos (vid. Hor. Carm. Saec. v. 21.) instituebantur, ut ita dicam, *maiora*, ita hoc Catulli carmen ad *Solemnia* in honorem Apollinis et Dianae *minora* (quae, ut docuit *Bentleius* in *Sententia de temporibus libr. Horatii*, unoquoque anno et quidem mense Augusto instaurabantur) referendum esse videtur. Et sic plane se habet cum Horatii Carmine breviore in *Dianam* et *Apollinem* Od. I, 21., nisi quod Horatius ibi pueros et puellas seiunctim, Catullus vero simul canentes inducit. — Inepta igitur huius carminis inscriptio: *Saeculare Carmen ad Dianam*, haud dubie a grammatico aliquo profecta, recte iam ab aliis sublata est.

1. *in fide*, in tutela, custodia.

2. *pueri integri*, castitatis integritate florentes.

7. 8. *prope Deliam olivam.* de loco, ubi Latona Dianam pepererit, scriptores variant; vid. *Spanhem.* ad Callim. Hymn. in Del. v. 255. et 262. — *Deposivit*, antique, ut apud Plautum, pro: deposuit; et sic apud eundem *posivi.* — *deponere* pro: parere, quia parientes ventris onus deponunt; cf. *Burmannum* ad Phaedr. Fab. I, 18, 5. et sic apud Graecos ἀποτίθεσθαι; vid. *Ernest.* ad Callimach. Hymn. in Iovem v. 15.

9—14. *Montium domina* cett. Hor. Od. III, 21, 1. *Montium custos nemorumque, Virgo.* — *Lucina Iuno.* — Diana, quia obstetricis quasi munere apud puerperas fungi et sobolem *in lucem* producere putabatur, modo *Iuno Lucina*, modo *Diana Lucifera*, modo *Genitalis*, modo graeco nomine *Ilithyia* appellata est. Cf. Hor. Carm. Saecul. v. 13 sqq.

15. *Trivia.* ita dicta est *Diana*, quia ut *diva triformis* (Hor. Od. III, 22, 4.) Luna in caelo, Diana in terris, Hecate apud inferos, colebatur in triviis.

15. *noth. lum.* — *Lunae* tribuitur *lumen nothum*, h. e. alienum, spurium, quia Luna non suo, sed lumine a Sole ad se transmisso

Tu cursu, Dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolae bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocunque placet tibi
Sancta nomine, Romulique
Antiquam, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

CARMEN XXXV.

CAECILIUM INVITAT.

Poetae tenero, meo sodali,
Velim Caecilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi moenia, Lariumque litus;
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui meique.

lucet. Lucret. V, 575. *Lunaque, sive notho fertur loca lumine lustrans.* Cf. Lucian. in Astrolog. Tom. II, cap. 3. p. 361 et Plin. II, 9.

19. 20. *Rustica agr. bon. t. fr. exples.* fertilitas igitur, quae alias Cereri, nunc Lunae tribuitur.

22. *Sancta*, pie veneranda; *Sanctae Matris* nomine insignitur Diana in vetere lapide Thesauri Gruteri XLI, 5.

24. *bona ope Sospites*, muneribus a benefica tua divinitate profectis gentem Romanam bees servesque.

CARM. XXXV.

Cum Catullus haberet aliquid, quod cum Caecilio de communi aliquo amico communicaret, vehementer eum in hoc carmine obtestatur, ut pede celerrimo ad se properet, nec ad audienda, quae in eius sinum effundere velit, mollissimo puellae cuiusdam amore se retineri patiatur. Amabat autem puella illa Caecilium nunc eo ardentius, quo maior fuit voluptas, qua carminis a Caecilio de Cybele inchoati lectione totus puellae pertentatus fuerat animus. — De Caecilio, uti de aliis Catulli amicis, qui illi fuerint, certo constitui nequit. Poetam fuisse Caecilium ex primo statim versu apparet.

1. *tenero.* versibus scilicet poeta Caecilius carmen de Cybele inchoaverat tam teneris et mollibus, ut eorum vis in interiorem puellae, quam ille amabat, medullam penetraret. Hoc sensu *poetae teneri* vocantur Callimachus, Sappho, Tibullus et Gallus apud Ovid. Remed. Am. 757 sqq. et sic *versus nimis teneri* apud Horat. Epist. ad Pis. v. 246. et *carmen tenerum* Ovid. Amor. III, 8, 2.

2. *papyre*, pro charta, quae ex libro arbusculae Aegyptiacae conficiebatur.

3. 4. *Nov. Com. Lar. lit.* — *Novum Comum* fuit oppidum in Insubria ad lacum *Larium.* Vid. *Cellarii Not. Orbis Ant.* Tom. I. Lib. II. c. 9. — *cogitationes quasdam*, quas tacite secum de re aliqua agitet amicus communis.

Quare, si sapiet, viam vorabit,
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manusque collo
Ambas iniiciens roget morari,
Quae nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam, quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo misellae
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi, Sapphica puella
Musa doctior; est enim venuste
Magna Caecilio inchoata Mater.

CARMEN XXXVI.

IN ANNALES VOLUSII.

Annales Volusî, cacata charta,

7. *viam vorabit*. quemadmodum ii, qui cibos avidissime et celerrime deglutiunt, *cibos vorare*, ita illi, qui per viam feruntur cursu celerrimo, *viam vorare* dicuntur; similiter Graeci *ἁρπάζειν τὴν ὁδόν*, et sic fere *gressus rapere* apud Lucan. III, 116.

8. *candida*, pulchra; cf. supr. ad XIII, 4.

12. *deperit*, misere et perdite amat. — *impot. am. amor impotens*, qui ita rapit amantium animos, ut plane sui non potentes faciant, quodcunque eos facere iubet amor.

13. *inchoatam*. coeperat Caecilius de Cybeles divinitate et iis, quae illi tribuuntur, carmen componere tanta arte et venustate, ut eius lectio puellae, quam sectabatur Caecilius, intimos animi recessus percuteret. — *inchoare* de rebus, quas tractare incepimus. Cicero in Brut. cap. 20. *meos libros, quos exspectas, inchoavi, sed conficere non possum his diebus.*

14. *Dindymi dom.* — Cybele vocatur *Dindymi domina* (infr. LXIII, 13. *Dindymena domina*), quia in monte Dindymo, in Phrygia maiore sito, regnabat quasi ut *Magna Mater*, sacris, quae in eius honorem ibi instituebantur, celebratissima. De his sacris cf. infr. Carmen LXIII. — *misellae*, perdite amanti; cf. supr. VIII, 1.

15. *Ignes*, ardens amor; sic *lenti ignes* apud Horat. Od. I, 13, 8. et *caecus ignis* apud Virg. Aen. IV, 2. — *edunt*, peredunt, consumunt.

17. *Sapphica Musa doctior*, carmina canens doctiora illis, quae Sappho, decima illa Musa, cecinisse dicitur.

CARM. XXXVI.

Malum poetam, Volusium, Catullus hoc carmine pleno veneni insectatur. Scripserat Volusius annales tam barbare et inconcinne, ut Catullus eos non legendos sed igni tradendos esse iudicaret. Quod quidem ut fieret, lepide fingit poeta puellam suam vovisse, „se, si Catullus secum rediisset in gratiam, electissima pessimi poetae carmina in ignem coniecturam esse." Rogat igitur poeta Venerem, ut votum illud puellae benevole accipiat et nunc ratum esse iubeat.

1. *cacata charta*, locutio sane ad normam honestatis haud exigenda.

Votum solvite pro mea puella;
Nam sanctae Veneri Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem,
Desissemque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poetae
Scripta tardipedi deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis.
Et haec pessima se puella vidit
Iocose et lepide vovere Divis.
Nunc, o caeruleo creata ponto,
Quae sanctum Idalium, Syrosque apertos,
Quaeque Ancona, Gnidumque arundinosam
Colis, quaeque Amathunta, quaeque Golgos,

4. *restitutus essem*, sc. *in gratiam*, quod verbo *restitui*, pro: reconciliari, addidit Terent. Hecyr. III, 1, 11.

5. *truces*, exquisite pro: minaces; nam *trux* imaginem vel vultum minas per iambos iacientis bene exprimit. — *vibrare*, tanquam tela.

7. *tardipedi deo*, Vulcano, pro: igni. Virgil. Aen. VII, 77. *totis Vulcanum spargere tectis.* Dicitur Vulcanus *tardipes*, quia, ut constat, ei e caelo deiecto contracta est pedum tarditas sive claudicatio.

8. *lignis*, non vulgaribus, sed *infelicibus*, quae, ut docet Plinius XVI. cap. 26., non serebantur, nec fructum progignebant. Vid. imprimis Macrob. Saturn. II, 16.

9. *haec pessima* sc. carmina vel scripta poetae pessimi. — *vidit*, censuit, intellexit.

11 — 16. *Nunc o* cett. ut ostendat poeta, quanta sit Veneris potentia, enumerat terras, quas illa praesidio suo foveat, prosperet, et muneribus suis beatas reddat. Et sic passim poetae, dei alicuius potentiam celebraturi, terras et regiones, quibus ille praesit, nominatim memorare solent. Ipsa Venus apud Virgil. Aen. X, 51. non sine gloria de regni sui amplitudine verba facit.

11. *caerul. creata ponto* (ποντογενής, ἀναδυομένη). Ovid. ex Pont. IV, 1, 29. 30. *Ut Venus artificis labor est et gloria Coi, Aequoreo madidas quae premit imbre comas.*

12. *Idalium*, Cypri oppidulum, prope quod in luco sancta Veneris sedes fuit. — *Syrosque apertos. Syri* sive *Assyrii* a regionibus, quas *in aperto* sive in continua planitie incolebant, dicuntur ipsi *aperti*, ut supra VII, 5. *Iupiter* ab arena aestuante in Lybia *aestuosus.* De *apertis* Assyriae regionibus bene ad rem comparavit *Vossius* locum Ciceronis *De Divinatione* I, 1. *Assyrii — propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum coelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectus motusque stellarum observarunt.*

13. *Anc.* — *Ancon, onis*, vel *Ancona, ae*, urbs maritima cum portu in regione Piceni. — *Gnid. Gnidus* vel *Cnidus*, urbs Doridis in Caria, Veneris signo, a Praxitele sculpto, nobilis. — *arund.*, ferax arundinum, e quibus optimi calami scriptorii conficiebantur. Plin. XVI, 36. — Horat. Od. I, 30, 1. *O Venus, regina Gnidi.*

14. *Amath. Amathus, untis*, urbs Cypri in ora meridionali. — *Golg. Golgi, orum*, urbs Cypri,

Quaeque Dyrrachium, Hadriae tabernam:
Acceptum face redditumque votum,
Si non inlepidum neque invenustum est.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris et inficetiarum,
Annales Volusî, cacata charta.

CARMEN XXXVII.

AD CONTUBERNALES.

Salax taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum
Confutuere, et putare ceteros hircos?

unde *Venus Golgia*; infr. LXIV, 96. *Quaeque regis Golgos, quaeque Idalium frondosum.*

15. *Dyrrachium*, oppidum cum portu in Macedonia ad mare Hadriaticum, opportunum mercaturae, sive emporium, quod inde vocatur *taberna Hadriae*, ubi in *tabernis*, h. e. aediculis, ex tabulis constructis, et vendebantur et emebantur merces; et sic locus, ubi libri venduntur, simpliciter vocatur *taberna* apud Hor. Sat. I, 4, 71. *Nulla taberna meos habeat neque pila libellos.*

16. *Accept. face* cett. Elegantissime hoc versu expressit Catullus sententiam hanc: Fac quaeso, ut quod illa vovit se facere velle, scilicet pessime scripta Volusii igni comburenda tradere, id nunc effectum des. Verba *accipere* et *reddere* translata sunt a debitoribus; debitor creditum sibi a creditore *accipit*, quod suo tempore creditori *reddit*.

CARM. XXXVII.

Catullus, cum puella a se amatissima consedisset in taberna infami (cuius situm in urbe descriptum dedit), appellat in hoc carmine *salacem* istam *tabernam* et *contubernales* (qui in eodem quasi contubernio effrenae libidini se darent), eos ut homines pusillos et obiectos exagitat, ridet et contemnit, eorumque flagitia se carbone in tabernae fronte notaturum et evulgaturum esse minace ore declarat.

1. *Salax taberna.* — *taberna* est caupona, et quoniam in cauponis nonnunquam reperiuntur salacitatis administrae, *taberna salax* iam est: lupanar.

2. *A pil. non. fratr. pila*, *pilarum* (columellarum, quae ante domos poni solebant) *nona a pileatis fratribus* (inde a Castoris et Pollucis templo). *Castor et Pollux* gestabant *pileos*; caeterum de Castoris et Pollucis insignibus more suo agit *Magnus Hemsterhusius* ad Lucian. Deor. Dial. XXVI. Tom. I. p. 281—7. Designavit igitur poeta situm tabernae a numero columellae ante tabernam positae.

5. *hircos*, scil. castratos. Plaut. Merc. II, 2, 1. *Profecto ego illunc hircum castrari volo.* et v. 4. *Quasi hircum, metuo, ne uxor me castret mea.* Vocem *hircus* ad gravem illum sub axillis odorem referre nolim, de quo cf. infr. LXIX, 6.

An, continenter quod sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos inrumare sessores?
Atqui putate; namque totius vobis
Frontem tabernae scipionibus scribam.
Puella nam mea, quae meo sinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. Hanc boni beatique
Omnes amatis: et quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli, et semitarii moechi;
Tu praeter omnes, une de capillatis
Cuniculosae Celtiberiae fili,

6. *continenter*, continua serie, deinceps (συνεχῶς). — *sedetis*, en consessum in lupinari hominum libidinosorum, flagrante cupiditate libidinis alimenta expectantium; hinc illi v. 8. vocantur *sessores.* De verbo *inrumare*, h. l. pro: pessumdare, cf. supr. ad XXVIII, 10.

9. 10. *namque totius* cett. *scribere frontem totius tabernae vobis* dictum videtur pro: scribere in fronte totius tabernae, sc. patefacienda vel notanda, *vobis*, in vestram contumeliam, *scipionibus*, baculis adustis, qui, si quid scribendum esset in loco superiore, ut hoc loco super fores tabernae, pro simplicibus carbonibus usurpabantur. Notabantur autem *carbone* infausta, *albo* vero *colore* sive *creta* fausta. Hor. Sat. II, 3, 246. *Sani ut creta, an carbone notandi?* Per *frontem* intellige externam aedium partem, sive fores. Plaut. Merc. II, 3, 74. *Impleantur meae fores elogiorum carbonibus.*

12. *Amat. t. qu. am. nulla*, pro vulgari: amatissima. Similiter supr. VIII, 5. *Amata nobis, quantum amabitur nulla.*

13. *magna bella pugnata*, scilicet contra aemulos vel rivales.

14. *Consedit*, accommodate ad ignaviam et socordiam meretricularum sedendo in lupanari libidinosos vel salaces praestolantium. — *boni beatique*, per εἰρωνείαν.

16. *pusilli*, homunculi, abiecti homines. Iuven. XV, 70. *Terra malos homines nunc educat atque p u s i l l o s.* — *semitarii*, in semitis et angiportis prostibula exquirentes. — *de capillatis*, quia in *Celtiberia*, Hispaniae parte, a Celtis olim occupata, *capillos* alere solebant incolae. — *cuniculosae*, ob magnam copiam cuniculorum, lustra sua sive cavernas sub terra Celtiberica habentium. — *fili.* haec vox mihi suspecta est, quia non facile aliquis *unus filius regionis alicuius* in latina lingua dicitur; aliud est *filius terrae* de homine obscuro, cuius patria ignoratur; vide igitur, an Catullus fortasse scripserit: *une de capillatis Cuniculosae Celtiberiae, v i l i s* (in vocativo) *Egnati*, cett. sic *vilis Europe* Horat. Od. III, 27, 57. *vilis scriptor* Horat. Epist. II, 1, 38. *viles animae* Virg. Aen. XI, 372. et sic aliquis ex proverbiali locutione *vilior alga* dicitur, Horat. Sat. II, 5, 8. Virg. Eclog. VII, 42. Facile autem fieri potuit, ut scriba dictatam vocem *vilis* male auribus perciperet.

Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens Hibera defricatus urina.

CARMEN XXXVIII.

AD CORNIFICIUM.

Male est, Cornifici, tuo Catullo,
Male est, mehercule, et laboriose,
Et magis magis in dies et horas:
Quem tu, quod minimum facillimumque est,
Qua solatus es adlocutione?
Irascor tibi. Sic meos amores?
Paulum quid lubet adlocutionis,
Moestius lacrimis Simonideis.

19. *opaca quem* cett. vocat Catullus *Egnatium* eo sensu *bonum*, quo ceteros contubernales supr. v. 14. *bonos beatosque* vocavit; *bonitas* igitur Egnatii cernebatur in *barba opaca*, *genas*, ut loquitur Claudian. in Prob. et Olybr. Cons. 69., *inumbrante*. Sic apud Graecos τὸ πρόςωπον κατασκιάζεσθαι. Cf. Hom. Od. XI, 319. 20. et collecta in hanc rem exempla a *Cerdano* ad Virg. Aen. VIII, 160.

20. *Et dens* cett. de *dente Hibera* vel *Ibera urina defricato* cf. ad XXXIX, 19.

CARM. XXXVIII.

Postquam Catullus de animi aegritudine et malis, quibus laboret, in primis huius poematii versibus querelas fudit, primum amico suo Cornificio exprobrat lentum animum, quo sibi in re adversa defuerit; deinde ab eodem versiculos mollissimi animi sensum exprimentes flagitat.

1. *Male est* cett. eleganter *male* et *laboriose alicui esse* dicitur de eo, qui cum malis et *(laboribus)* gravibus curis conflictatur.

3. *magis magis* (μᾶλλον μᾶλλον), sine copula ut infr. LXIV, 275.

4. *quod minimum facillimumque est*, quod minima facillimaque fieri potest opera, scilicet solatii quodam genere levare et mitigare alicuius dolores animi; *adlocutio*, de verbis, quibus miseros adloquimur, consolatoriis, et sic *adloquium* pro: solatium; vinum adeo et cantum, ut curarum remedia, vocat Horat. Epod. XIII, 18. *dulcia aegrimoniae adloquia.* cf. de hac vocis *adloquium* significatione *Drakenb.* ad Liv. IX, 6. T. II. p. 852. Et sic παραμύθιον et παραμυθεῖσθαι apud Graecos. vid. *Hemsterh.* ad Xenoph. Ephes. p. 153.

6—8. *Irascor tibi*, scilicet quod me dolentem non recreasti tuo solatio. — *Sic meos amores?* Tunc tam frigido animo amores meos respexisti? Siccine tu erga me te gessisti in amorum meorum infortunio? Quale illud in Catulli amoribus fuerit infortunium, relictum est divinationibus.

7. 8. *Paulum quid lubet adlocutionis, Moestius* cett. ego desidero aliquid solatii, quod molliorem in animum meum vim habeat, quam Simonidis carmina mollissima. — *Simonides*, Ceus, insignis in miseratione movenda poeta, vid. Quinctil. I, 10. cap. 1., scripsit θρήνους, *flebiles elegos*, *naenias*, quas Catullus vocat *lacrimas*, quia lectio Simonideorum carminum movebat lacrimas.

CARMEN XXXIX.

IN EGNATIUM.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille, seu pii ad rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille; quicquid est, ubicunque est,
Quodcunque agit, renidet. Hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,

CARM. XXXIX.

Multo sale perfricat poeta hominem insulsissimum, *Egnatium*. Is enim, cum ubique, neque loci neque temporis ratione habita, ridendo rictum, ut loquitur Horatius, diducere consuesset, hoc risu inepto semet ipsum exhibuerat ridiculum. Ad Egnatium igitur exagitandum Catullus in hoc carmine turpioris istius usquequaque ridendi moris castigator prodit.

1. *quod cand. hab. dent.* affectare enim saepe solent risum, quibus in ore fulgent dentes candidi. Quod Ovidius quoque refert ad artem placendi, quam puellis commendat in Art. Amat. III, 281. 2. Huc pertinet laudatum a *Mureto* Fragm. Alexidis Comici apud Athenaeum Lib. XIII. Inter Catulli rivales iam apparuit Egnatius supr. XXXVII, 19.

2. *Renidet*, significanter pro: ridet; *renidere* enim non est simpliciter *ridere*, sed inter ridendum dentium candidorum fulgorem vel splendorem simul ostendere; *renidere* certe dicuntur, qui os vel vultum hilarem laetumque ostendunt. Horat. Od. III, 6, 12. *et adiecisse praedam Torquibus exiguis renidet*, vultu hilari declarat. Od. II, 5, 19. *Ut pura nocturno renidet Luna mari.* Ovid. Metam. VIII, 197. *os renidens.* — *usquequaque*, ubicunque est, stat vel incedit. — *ad rei subsellium.* in iudiciis enim accusatorum aeque atque accusantium patroni in subselliis sedere et inde surgentes causam perorare solebant.

7. *morb.* — *morbus*, ut νόσος apud Graecos, saepe apud optimos quosque scriptores de vitiis, quibus, tanquam morbo aliquo, laborant homines. Cic. de Fin. I, 18. *Animi morbi sunt cupiditates immensae et inanes, divitiarum, gloriae, dominationis* cett. infr. LXXVI, 25. *tetrum deponere morbum.*

8. *urbanum.* urbaniores enim et cultioris animi homines alieni sunt ab Egnatii stupore, rusticitate et ineptiis.

9. *bone*, contemtim, ut in Carm. XXXVII, 19.

10—16. *Si urbanus esses* cett. Sensus et orationis nexus: Quamvis tu esses *(urbanus)* civis Romanus, aut unus ex aliis populis (quos Catullus ob externam corporis speciem, qua illi utuntur, nominatim laudat), aut quicunque alius eorum, qui dentes non urina, sed pura aqua lavant atque expoliunt, ego tamen te usquequaque ridere nollem, quia inepto risu nihil cogitari potest ineptius.

Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes,
Tamen renidere usquequaque te nollem;
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber es: Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem atque russam defricare gingivam;
Ut, quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

CARMEN XL.

AD RAVIDUM.

Quaenam te mala mens, miselle Ravide,

11. *porcus*. cum teste *Viro Clarissimo Silligio* in Cod. Dresd. et vett. Editt. exhibitum sit *parcus*, quod nullo modo convenit laudi, quam Catullus bonae populorum dictorum corporis habitudini tribuit, pro: *parcus* una littera *a* in o mutata dedi cum *Scaligero porcus*; dicitur autem *Umber* iam iocose *porcus*, uti Horatius iocose se dixit *Epicuri de grege porcum* pro: pinguem, obesum, Epist. I, 4, 16. *Me pinguem et nitidum bene curata cute vises, cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.*

12. *Lanuvinus*. Lanuvium oppidum Latii, cultu Iunonis Sospitae celebre. — *ater*. vultus enim coloris subnigri est corporis sani robustique indicium; *dentatus* sc. bene.

13. *ut meos qu. atting.* ut huc quoque referam populares meos; Verona enim, Catulli patria, in regione Transpadana fuit oppidum.

14. *puriter*. pura scilicet aqua vel alio puro liquore, qui opponitur spurcae urinae v. 18.

16. *Nam risu inepto* cett. Vulgarem illam sententiam, „eos, qui de unaquaque re, sive gravi sive levi, sive laeta sive tristi, importunum risum movere soleant, ad homines ineptissimos stolidissimosque referendos esse," Catullus paucis verbis complexus est; et sic in Gnomicis v. 83—4. p. 224. edit. *Brunck*. Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν, Γελᾷ δ' ὁ μῶρος, κἄν τι μὴ γελοῖον ῇ.

17. *Celtiber*, cf. supr. XXXVII, 18. — *Celtiberia in terra*, ut *terra Africa, terra Hispania, terra Campania*; exempla de hoc loquendi genere vid. apud *Drakenb.* ad Liv. XXV, 7. Tom. III, p. 956. et ad Sil. Ital. XVI, 180.

18. *Quod quisque minxit*. idem de Celtiberis tradit Diod. Siculus, ad quem vid. *Wesseling*. Tom. I. p. 357.

20. *vester*, apud vos Celtiberos.

21. *praedicet*, indicet, patefaciat, palam ostendat.

CARM. XL.

Furore quodam fertur Catullus in Ravidum, quem *amores suos* (puerum vel puellam) ad libidinem pellicere voluisse ait. Minatur igitur truces iambos, quibus huius tentatae rei ultor exiturus sit.

1. *mala mens*, infausta cogita-

Agit praecipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora volgi?
Quid vis? qua lubet esse notus optas?
Eris, quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare poena.

CARMEN XLI.

IN AMICAM FORMIANI.

Anne sana puella, defututa
Tota? millia me decem poposcit,
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curae,
Amicos medicosque convocate:

tio; *miselle*, o tu, qui misere flagras libidine, perdite amas; sic infr. LXXX, 7. *misellus Victor*, et XLV, 21. *misellus Septimius*. cf. supr. XXXV, 14.

3. *Quis deus tibi* cett. Iam apud Hom. Iliad. XVII, 469, 70. dii rei alicuius suscipiendae inspirare vel iniicere animis dicuntur consilia.— *rixam*, sc. mecum de eo, quod meos amores sectaris.

6. Sublato post *optas* signo interrogationis hunc locum ita interpretor: *Quid vis?* Dic, quaeso, quidnam tibi vis? vel, quid tibi placet? *notus eris*, h. e. pervenies in ora vulgi ea ratione, qua pro animi arbitrio in ora vulgi pervenire optas. — *notus* iam in malam partem; potest enim aliquis mala quoque fama notus fieri, ita ut sit: *famosus*. Cicero pro Coelio 13. *femina non modo nobilis, sed etiam n o t a*.

8. *poena longa*, in tempus longum vel diu duratura, quasi iambi Catulliani adspersas Ravidi nomini notas et ignominiam ad posteros propagaturi essent.

CARM. XLI.

Adumbratam imaginem Formiani amicae, turpi naso imprimis abominabilis, Catullus conspectui et contemtui omnium exponit. Cf. de hac Formiani amica Carm. XLIII., ubi illa pariter ut puella *non minimo naso* inducitur.

2. *Tota*, infr. CX, 8. *Quae sese t o t o corpore prostituit.* — *millia me decem* (sc. sestertiûm) *poposcit*. Catullum imitatus est Horat. Sat. II, 7, 90. *Quinque talenta P o s c i t te m u l i e r.*

4. *Formiani*, Mamurrae, Formiis nati; cf. de eo supr. Carm. XXIX.

5. *Propinqui*. propinquorum erat, ut necessarios mente captos vel helleboro vel medicorum opera sanandos curarent. Hor. Epist. II, 2, 136—8. *Hic ubi c o g n a t o r u m opibus curisque refectus Expulit helleboro morbum bilemque meraco, Et redit ad sese* cett. et Sat. II, 3, 218. *ad s a n o s abeat tutela propinquos.*

Non est sana puella; nec rogare
Qualis sit solet haec imaginosum.

CARMEN XLII.

IN QUANDAM.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse moecha turpis,
Et negat mihi vostra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, et reflagitemus.
Quae sit, quaeritis? illa, quam videtis

7. 8. *nec rogare Qualis sit solet haec imaginosum.* Hic locus in eodem haeret luto, in quo iam diu haesit. Nam primum lectionem *imaginosum* respuit latinitas; deinde, licet ferre velis vocem *imaginosum*, qua nullus veterum scriptorum usus est, tamen ex ea lectione sententia, quae rei, de qua sermo est, respondeat, elici nequit. Catullus *insanam* istam puellam esse declarat, quae, non cogitans de nasi sui turpitudine sive de sua deformitate, tantam pecuniae summam pro libidinis fructu poposcerit. Itaque ista de formae suae venustate *imaginosa*, ut hac barbara voce utar, esse non potuit. Vitium latet in lectione *imaginosum*, pro qua si scripseris: *imago nasi*, et verba recte distinxeris:

— — *nec rogare*,
Qualis sit, *solet haec* (vel pro *haec* lege *ista*, ut v. 3.), *imago nasi*,

„h. e. nec (ista) rogare (speculum consulere) solet, *qualis* (quam foeda vel turpis) *sit imago* (forma vel species) *nasi*," clara et perspicua sunt omnia.

CARM. XLII.

Poeta omnes ac singulos hendecasyllabos sibi praesto adesse iubet. Adsunt, et, quid ille se facere iussurus sit, exspectant. Iubet eos reflagitare pugillaria, quae sibi reddere pertinaciter recuset amica. Quaerunt hendecasyllabi, quae illa sit? Putidam istam et perfrictae frontis moecham esse ait poeta, dum simul eius incessum ad certam mensuram directum et caninum ridendi morem notat. Abeunt hendecasyllabi et iussa exsequuntur, sed re infecta redeunt. Iterum poeta ad codicillos altiore voce inter convicia expugnandos amandat hendecasyllabos; sed iterum frustra. Itaque Catullus, quod effici non potuisset conviciis, id fortasse moecham laudibus cumulando effici posse existimat. — Similiter Catullus supra Carm. XII. Asinium ad reddendum sudarium, quod ille Catullo clam subduxerat, hendecasyllaborum minis compellere studet.

3. *Iocum me putat esse*, putat me esse hominem, qui ei sit ludo iocoque, vel quem pro animi arbitrio ludificetur.

4. Lepide Catullus dixit *vestra*, quasi simul res agatur hendecasyllaborum, qui, mandati a poetis pugillaribus, sedem et domicilium suum in iis habeant.

5. *Si pati potestis*, si aequo animo ferre potestis iniuriosum moechae facinus.

7. *Quae sit*, quae sit externa eius forma et species.

Turpe incedere, mimice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, et reflagitate:
Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos.
Non assis facis? O lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quodsi non aliud pote est, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce:
Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos.
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis:
Pudica et proba, redde codicillos.

8. *turpe*, pro: turpiter; turpiter autem incedunt puellae, quae, dum placere student superba pedum laterumque agitatione vel alio quocunque incessu inhonesto, displicent et ridentur; *incedere* proprio de iis, qui quaesito pedum corporisque motu viam metiuntur. Propert. II, 2, 6. de Cynthia: *incedit vel Iove digna soror.* — *mimice ridere* est ridere more mimorum, qui, vel ridentes assimulaturi, vel rem aliquam alto cachinno expressuri, os, sicut canes venatici rictum, *moleste* (putide) diducere solent.

9. *Gallicani*, epitheton ornans, pro quovis cane venatico, cuius rictus est latior.

11. *putida* refer ad mores, quos aversamur vel abominamur; *putidum* (a *putere*) dicitur, quod nauseam, taedium, odium creat.

13. *O lutum*, o mulier luto et sordibus inquinata, h. e. vilissima, abiectissima; similiter homo vitiis inquinatissimus apud Ciceronem dicitur *coenum*, Pro Domo. cap. 18. *O coenum, o portentum, o scelus.* — *lupanar*, o tu, quae sedem tuam habes in lupanaribus, o lupa; et sic homo, qui in carcerem coniiciatur, dignus apud Terent. Phorm. II, 3, 26. vocatur *carcer*.

14. *perditius*, profligatius, corruptius, insanabilius.

17. *Ferr. canis expr. ore.* pudor sedem suam habet in ore; iis igitur, qui os, pudore ex eo pulso, perfricuerunt, ad Homeri exemplum (κυνώπης) os caninum tribuitur.

22. *Mutanda est ratio.* sic Horatius, cum eum in dulci iuventa pectoris fervor in celeres iambos misisset, quaesivit *tristia mutare mitibus*, in Palinodia Od. I, 16, 26.

23. *amplius*, plus, quam adhuc factum est, optabilius, ulterius.

CARMEN XLIII.

IN AMICAM FORMIANI.

Salve, nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O seclum insipiens et inficetum!

CARMEN XLIV.

AD FUNDUM.

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere; at quibus cordi est,

CARM. XLIII.

Formiani amicam Catullus, ut supra Carm. XLI., ut puellam, cui omnia, in quibus censetur formae pulchritudo, desint, ridet et exagitat. Attamen cum essent qui illam pro formosa puella haberent, sinistrum eorum iudicium tribuendum esse putat saeculi insipientiae.

1. *nec minim. nas.* — *nasus non minimus* est nasus iusto longior; fuit igitur puella, ut dicitur apud Hor. Sat. I, 2, 93., *nasuta.*

3. *Nec long. digit.* referebantur igitur ad laudem pulchritudinis *longi digiti*, ut *longae manus* apud Propert. II, 2, 5. ubi vid. *Passerat.* — *nec ore sicco*, quia os nimia salivae abundabat et diffluebat copia.

4. *Nec san. nim. el. lingua*, vel quod vox ei fuit dura, aspera, gravis, rauca, vel quod barbaro et rustico loquendi genere utebatur.

5. *Decoct. am. Form.* cf. supr. XLI, 4.

6. *Ten' pr. n. esse bellam?* suntne in provincia, qui te puellam bellam esse autument? Per *provinciam* intelligit Scaliger Galliae partem Transpadanam, ubi et Mamurra et eius amica et Catullus nunc versati esse videantur.

CARM. XLIV.

Cum Catullus, conviva apud Sextium, oratione plena veneni et pestilentiae h. e. foedissime scripta, quam convivator recitaverat, pessime affectus esset: poeta in villam suam, ubi expelleret contractam animi aegritudinem, sese contulit. Ille igitur ibi refectus villae suae pro hoc summo beneficio in hoc poematio gratias agit.

1—4. *O funde noster, seu Sab. s. T.* villa Catulli in Latio ad flumen Anienem sita fuit in eo confinio, ut tam ad agrum Tiburtem, quam ad agrum Sabinum referri posset; sed tanta fuit agri Tiburtis amoenitas (cf Horat. Od I, 7, 12. et Od. II, 6, 5.), ut Catullus villam suam Tiburtem potius quam Sabinam nominari vellet.

Quovis Sabinum pignore esse contendunt:
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expuli tussim,
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, coenas.
Nam, Sextianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiae legit.
Hic me gravedo frigida, et frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sexti recepso, quin gravedinem et tussim
Non mî, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

4. *pignore*, sc. posito, pro: quovis pacto; sic Cicero Epist. ad Div. VII, 32. *sacramento contendere.*

8. *venter dedit*, contraxit lautiorum ciborum aviditas, cui qui indulget, apud Horatium *ventre duci* dicitur.

10. *Sextianus conviva*, apud *Sextium* vel *Sestium*, qui, ut ex hoc loco apparet, fuit orator lutulentus, cuius *dicta* insulsa et inepta Cicero ad Div. VII, 32. vocat *Sestiana;* idem de eodem ad Attic. VII, 17. *nihil unquam legi scriptum σηστιωδέστερον* (insulsius et ineptius).

11. *in Antium.* — *Vossius* intelligit *C. Antium Restionem*, qui legem tulit sumtuariam. — *petitorem*, causae cuiusdam actorem; *qui petit* est accusator, *qui petitur* reus.

12. *Plen. ven.* — *venenum* de rebus, quas aversamur et detestamur; oratio igitur *plena veneni et pestilentiae* est plena omnium, quae lectores tanquam venenum et pestilentiam exhorrescunt, vel quae lectorum animos taedio opplent gravissimo. Similiter supra XIV, 19. carmina ineptissima dicuntur *venena.*

14. *in tuum sinum*, eleganter pro vulgari: ad te, o villa, ut in tuo recessu, tanquam in amici alicuius sinu, delitescerem, et ad me a gravedine recreandum optata quiete apud te fruerer.

15. *urtica.* de urtica, qua vesci solebant et pauperes et male corpore affecti, vid. Plin. XXI, 15. et XXII, 13.

17. *peccatum*, quod lautiore Sextii coena me induci passus sum ad audiendam orationem ineptissime ab illo scriptam.

20. *Non — sed*, pro: non modo, sed etiam; exempla vid. apud *Drakenb.* ad Liv. XXVIII, 11. §. 14. et cap. 26. §. 7. *Cort.* ad Sallust. Iugurth. XIV, 23.

21. *Qui tunc vocat me, cum* cett. Nemo facile diem dicet ei, qui virum doctum aliquem vel amicum eo consilio ad coenam vocat, ut ille de scriptis inter coenam vel post coenam recitatis suum inter-

CARMEN XLV.

DE ACME ET SEPTIMIO.

Acmen Septimius, suos amores,
Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnes sum assidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire:
Solus in Lybia, Indiave tosta,
Caesio veniam obvius leoni.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,
Dextram sternuit approbationem.

ponat iudicium. At fuere quoque non pauci, qui, Suffeno simillimi, magnifice de scriptis suis sentirent, et insulsissima quaeque recitando convivas, quos tanquam captivos tenebant, occiderent. Talis fuit *Sextius*. Ceterum confer in hanc rem Lucilii Epigr. in Anal. Vett. Poett. Graec. Tom. III. p. 43. edit. *Iacobs*. — *vocat*, sc. ad coenam. cf. XLVII, 7.

CARM. XLV.

Carmen mellitissimum! Conspicimus duorum amantium imaginem tanquam in tabula pulcherrimis coloribus depictam. Septimius Acmen suam in gremio tenet, dum verba de summa fidei suae in amore sanctitate fundit mollissima. Idem inter oscula facit Acme; et sic dextro Amore dextraque Venere amoris foedus iungitur firmissimum faustissimumque.

1. *suos amores*, puellam, quam amabat.

3 — 7. *Ni te perdite amo* cett. Formula eorum, qui aliquid sancte promittunt, adiecta poena, quae subeunda sit datam fidem fallentibus. — Sensus: Nisi te perdite amo, et sic uno tenore te in omne vitae tempus amare paratus sum, tanto scilicet amore, quanto ardet is, qui plurimum potest deperire: ego leoni in Lybia Indiave me dilaniandum obiiciam. — *Quantum*, refer ad *tantum*, quod nonnunquam omitti solet. Livius IX, 37. *Itaque, quantus non unquam antea, exercitus ad Sutrium venit.* et XXIV, 35. *Nequaquam cum quantis copiis ante tenuerat ad Pachynum classem.*

5. *pote*, pro: potest. Ipse Cicero Epist. ad Attic. XIII, 38. *hoc quidquam pote impurius?* — *plurimum perire*, vel maxime deperire.

6. *Solus*, sine ullo comite, qui me defendere possit. — *tosta*, torrida, arida. — *Lybia Indiave*, quia utraque terra leones alit. — *caes. caesius* (γλαυκός) proprie est: subviridis, sublividus, de colore, quo oculi suffecti radiant; et sic *oculi caesii* Minervae tribuuntur apud Ciceronem De Nat. Deorr. I, 30.; hoc loco *leonibus*, quos dixeris torvos, truculentos, minaces.

8. 9. *Hoc ut dixit* cett. postquam hoc dixerat et declaraverat Septimius, *Amor*, sicut antea sternuendo ediderat *(sinistram approbationem)* omen sinistrum (infaustum), ita nunc sternuendo edidit *(dextram approbationem)* dextrum (faustum) omen. Primum *sternuere* simpliciter dictum est pro: sternuendo laetum omen edere; Propert. II, 3, 24. *Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus Aureus argutum sternuit omen Amor?* cf. Theocrit. VII, 96. et XVIII, 16.

At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata,
Sic, inquit, mea vita, Septimille,
Huic uno domino usque serviamus,
Ut multo mihi maior acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,
Dextram sternuit approbationem.
Nunc ab auspicio bono profecti
Mutuis animis amant, amantur.
Unam Septimius misellus Acmen
Mavolt, quam Syrias Britanniasque:
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias libidinesque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

Iam ut distingueretur omen sinistrum ab omine dextro, ad vocem *approbationem* adiectum est: *sinistram* et *dextram.* — *ut ante,* cum Septimius nondum antea, ut nunc, mollissimi amoris sensus expressisset.

10 — 16. *At Acme l. cap. reflectens* cett. en σχῆμα osculationis! — *caput reflecteus* cett. Horat. Od. II, 12, 25. *Dum flagrantia detorquet ad oscula Cervicem.* — *ebrios,* natantes vel madentes amoris, ut ita dicam, liquoribus. Sic oculi ὑγροὶ apud Graecos. Anacreon XXVIII,21. cf. *Bergler.* ad Alciphr. p. 117.

12. *Illo,* qualis raro reperitur, insigniter purpureo; nam haec vis inest pronomini *ille.*

13. *Sic,* inter talia oscula. — *Septimille.* dum blanditur et delicias facit Acme in gremio *Septimii,* amanter eum vocat *Septimillum.*

14. *uno,* antique pro *uni,* ut *uni* supr. XVII, 17. pro: *unius.* — *domino serviamus.* quemadmodum alias amatores amicae suae tanquam *dominae servire* (δουλεύειν, vid. *Dorvill.* ad Charit. II, 17. p. 319. edit. Lips.) dicuntur, ita nunc suaviter Acme se Septimio tanquam *domino* suo *servire* velle ait. — Ceterum non fugiet lectorem elegantia, qua *Huic uni domino* δεικτικῶς pro *tibi* positum sit.

15. *Ut,* quippe quod.

19. *ab ausp. bon. profecti,* iter quasi ingressi ad laetos amoris fructus percipiendos.

21. *misellus,* perdite amans. vid. supr. ad VIII, 1.

CARMEN XLVI.

AD SE IPSUM DE ADVENTU VERIS.

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam coeli furor aequinoctialis
Iucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicaeaeque ager uber aestuosae.
Ad claras Asiae volemus urbes.
Iam mens praetrepidans avet vagari,
Iam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diversos variae viae reportant.

CARM. XLVI.

Quo gravior fuerat molestia, quae Catullo, ut uni comitum, qui praetorem Memmium, hominem sordidissimum, secuti erant in provinciam Bithyniam (cf. supr. Carmen X. et XXVIII.), devoranda fuit, eo maior et solutior erat nunc laetitia, quam Catullus, cum rediret ver, de ipsius in patriam reditu praecepit animo. Nec huius dulcissimi carminis lectores ab illa laetitia alienos fore existimo.

1. *egelidos*, expertes gelu, mitiores, molliores; e vel *ex* in adiectivis compositis vim negationis vel deminutionis habet, ut in *exspes*, *exlex*, *expers* cett.

2. 3. *Iam coeli furor* cett. iam desinunt furere venti aequinoctiales, dum iucunda Zephyri aura spirare incipit.

4. *Phrygii campi*, Bithynia, quae olim pars Phrygiae minoris fuit.

5. *Nicaeaeque*, urbis in Bithynia ad lacum Ascanium. — *aestuosae*, ob ferventiorem solis in illa regione aestum.

6. *Ad cl. As. vol. urbes.* ad eas refer *Pergamum*, *Smyrnam*, *Ephesum*, *Miletum* cett. Cf. *Duker.* ad Liv. XXVI, 24. — *mens praetrepidans*, significanter de eo, qui ob nimiam voluptatis alicuius percipiendae cupiditatem huc illuc agitatur, et quod appetit iam iam praecipere videtur. Sic fere apud Horat. Od. II, 5, 9. *praegestire.*

8. *laeti studio*, promti paratique ob desiderium laeti itineris.

9. *comitum*, qui una cum Catullo in cohorte Memmii fuerant.

11. Pro inepta lectione *diverse* dedi lectionem, quae teste editore Cantabrig. in vett. Codd. exhibetur: *diversos*, h. e. alium in hanc, alium in aliam regionem. Liv. X, 27. *inde diversae ferae, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit;* et cap. 33. *diversi consules ad vastandos agros urbesque oppugnandas discedunt.*

CARMEN XLVII.

AD PORCIUM ET SOCRATIONEM.

Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque Memmî,
Vos Veranniolo meo et Fabullo
Verpus praeposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumtuose
De die facitis; mei sodales
Quaerunt in triviis vocationes?

CARMEN XLVIII.

AD IUVENTIUM.

Mellitos oculos tuos, Iuventi,

CARM. XLVII.

Graviter in hoc carmine Catulli bilis movetur de re indigna, qua ipsius amicis, Veranniolo et Fabullo, a Pisone et Memmio anteponebantur homines abiectissimi, Porcius et Socration; hi luxuriosis de die conviviis interesse solebant, illi in victu admodum tenui acquiescere debebant.

1. Salse *Porcius* et *Socration* vocantur *duae sinistrae*, quia manus sinistra infamis fuit rebus clam alicui subducendis; vid. supr. ad XII, 1. Sed *Piso* quoque et *Memmius* infames fuerunt turpissima avaritia et spurcitie; de illo cf. supr. Carm. XXVIII, de hoc Carm. X. — *scabies famesque Memmî.* Porcius et Socration, quibus Piso et Memmius tanquam avaritiae administris utebantur, significanter et lepide dicuntur *scabies famesque*, quasi pariter ac domini divitiarum corradendarum pruritu et fame laborarent.

3. *Veranniolo*, blande pro *Verannio* sup. XXVIII.

4. *Verpus ille Priapus.* Memmius iste, homo, tanquam alter Priapus, impudicissimus. Pro *verpus* est supr. XXVIII, 12. *verpa.* Ceterum de obscenis locutionibus non sensu proprio accipiendis, sed pro trito et vulgari conviciorum, quae Catulli aetate iaci solebant, genere habendis vide quae supra ad locum laudatum v. 10. observavimus.

6. *De die.* lauta et luxuriosa convivia, quae *de die*, h. e. multo adhuc die, inde a meridie, institui solebant, dicebantur *tempestiva*, h. e. ante solitum tempus instituta; vide *Burmann.* ad Phaedr. III, 10, 20. et sic Graeci ἀφ' ἡμέρας πίνειν.

7. *mei sodales Quaer. in triv. vocat.* at meis sodalibus expectanda est invitatio ad tenuem vel vilem victum, pauperibus in triviis a ditioribus expositum. Vigebat imprimis apud Athenienses hic mos, ut in honorem Hecatae primo cuiusque mensis die pauperibus alimenta in triviis exponerentur; vid. *Hemsterhusius* ad Lucian. T. I. p. 330. — *vocatio*, invitatio; *vocare*, invitare, sic καλεῖν apud Graecos, et *vocatores*, κλήτορες. vid. *Rittersh.* ad Oppian. Halieut. III, 232.

CARM. XLVIII.

Catullus, formosi pueri Iuventii amore captus, ardentissima eius oculos deosculandi cupiditate fla-

Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta,
Nec unquam saturum inde cor futurum est,
Non, si densior aridis aristis
Sit nostrae seges osculationis.

CARMEN XLIX.

AD M. T. CICERONEM.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta,
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

CARMEN L.

AD LICINIUM.

Hesterno; Licini, die otiosi

grat; quod poeta paucis versibus expressit elegantissime.

1. *Mellitos oculos — basiare.* oculorum osculatio, cuius mentio quoque fit apud Hom. Odyss. XVI, 15., ad tenerrimi amoris signa pertinet. Cf. supr. IX, 9. et XLV, 11.

3. *ad millia trecenta.* de multo maiore numero basiorum, quae apud Lesbiam suam degustare cupit Catullus, vid. supr. V, 8. 9.

5. 6. *Non, si* cett. exquisite pro vulgari: non, si osculorum copia superet aridarum aristarum in agris copiam. — *seges* eleganter, et accommodate ad *aridas aristas*, de innumerabili fere rerum quarundam copia. Supra VII, 3. immensus osculorum numerus cum re, quae numerari nequit, cum *arena Libyssa* comparatur.

CARM. XLIX.

M. T. Ciceroni, ut omnium Romanorum, qui unquam vixerunt, oratori summo, pro re, quam ignoramus, Catullus maximas gratias agit, dum modeste semet ipsum omnium poetarum profitetur infimum.

1. *Romuli nepotum*, Romulidarum, pro: Romanorum; supr. XXVIII, 15. *opprobria Romuli Remique.*

2. 3. *Quot sunt, quotque fuere* cett. Similiter supr. XXIV, 2. 3. *Non horum modo, sed quot aut fuerunt, Aut posthac aliis erunt in annis.*

CARM. L.

Catullus et Licinius ex composito conveniunt, ut otiosi inter iocos et vini pocula versus in pugillaribus deproperent, eosque invicem secum communicent. Res bene procedit. Secundo Baccho bibunt et dextris Musis canunt. Quae quidem inde capta voluptas totum Catulli animum ita occupavit et de statu suo quasi deiecit,

Multum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse; delicatos
Scribens versiculos uterque nostrûm
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per iocum atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus iuvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,
Hoc, iucunde, tibi poema feci,

ut neque cibum sumere neque somnum in lectulo capere posset. Inter haec insomnia se meditatum esse ait Catullus hos versus, quibus Licinium suum ad perceptam voluptatem sequente die apud se repetendam amicissime invitat. — De *Calvo Licinio* vide supra ad Carm. XIV. in Argum.

1. *otiosi*, non rebus gravioribus, sed iucundioribus vacantes.

3 *Ut convenerat esse*, ut agere inter nos convenerat, ut tempus fallere constitueramus. Iam sermo est de poetis bonis, qui honesta aemulatione inter se certare solebant mutuis versibus. At extitere quoque poetae male feriati, qui, se brevissimo temporis spatio ingentem versuum numerum effundere posse iactantes, unumquemque ad certamen in versibus procudendis secum ineundum stolide provocarent. Talis est Crispinus apud Horatium Sat. I, 4, 14—6. *Accipe, si vis, Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora, Custodes; videamus, uter plus scribere possit.*

4—6. *delicatos Scribens versiculos* cett. deleta distinctione minore post *nostrûm* iunge et explica: *uterque nostrûm scribens versiculos delicatos* (iocosos) *numero modo hoc, modo illoc*, (modo hoc, modo alio metri genere) *ludebat* (sc. versibus iocosis) *per iocum atque vinum reddens mutua* (dum ad versiculos traditos respondebat versiculis vicissim a se factis). — *versiculi delicati* (iocosi, leves, lepidi, faceti) opponuntur versibus *gravibus* vel *severis*. Cic. de Offic. I, 40. *Turpe est in re severa delicatum aliquem inferre sermonem.* — *per iocum atque vinum.* supr. XII, 2. *in ioco atque vino.*

7. 8. *Atque* cett. atque ex illo certamine ita affectus et toto animo percussus *tuo lepore atque facetiis* (*delicatis* tuis versiculis, v. 3.) discessi, ut cett.

11. *furore.* — *furor*, de gravissima animi affectione, respondet voci *incensus.* — *indomitus*, indomito furore victus.

12. *lucem*, novi diei ortum.

14. *labore*, corporis huc illuc versi agitatione.

15. *Semimortua*, non plane sed paene mortua, pro vulgari: languentia, torpentia; nam membra labore confecta languent torpentque.

Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, sis, precesque nostras,
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat a te.
Est vehemens Dea; laedere hanc caveto.

CARMEN LI.

AD LESBIAM.

Ille mî par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,

17. *meum dolorem*, quo tui agitor desiderio.

18. 19. *Nunc aud.*, c. *sis precesque nostras* — *cave despuas*, noli audacter recusare quod precor et opto; optat autem Catullus, ut sequente statim die de integro sibi cum Licinio versandi et sermones cum eo miscendi copia fiat. — *ocelle*, o tu, qui mihi carior es oculis, dilectissime. cf. supr. XIV, 1.

21. *Nemesis, vehemens dea*, *βαρὺς θεός*, ultrix superbae recusationis.

CARM. LI.

Servatum est inter *Sapphus Fragmenta* Odarium, in quo expressa est potentissima illa vis amoris, qui omnes sensus eripiat amatori, venustissimae puellae, e regione sedentis, formam contemplanti. Huic Sapphus Odario Catullus, cum illud responderet ardentissimo erga Lesbiam suam amori, pro veste Graeca induit vestem Romanam, sed eidem annexuit laciniam, quae pro summo eius ornamento habenda est. Catullus scilicet, postquam Sapphus Odarium Latinis numeris adstrinxerat, ad se rediisse et de causis, e quibus tanta in amore insania repetenda sit, cogitasse videtur. Intellexit autem poeta *ignavum otium*, ut plurimorum malorum et calamitatum, ita insaniae in amore matrem esse fecundissimam. Adiecit igitur Catullus, iam ut sapiens morum magister, praeceptum gravissimum, quod, qui sibi cavere volunt ab amoris insania, prudenter sequi debent. — In gratiam eorum, qui non sine voluptate et magna utilitate Latinos scriptores cum Graecis comparare solent, typis ad hoc carmen Catulli recudendum curavi *Fragm. Sapph.*, uti illud *Vir Clariss. Neue in Sapphonis Mytilenaeae Fragmentis Berolini* 1827. exhibuit, p. 28.

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
ἔμμεν ὤνηρ, ὅστις ἐναντίος τοι
ἰζάνει, καὶ πλησίον ἁδὺ φωνείσας ὑπακούει
Καὶ γελαίσας ἱμερόεν· τό μοι ἐμὰν
καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.
ὤς[τε] γάρ σ' ἴδω, βροχέως με φωνᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἴκει.
Ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα ἔαγε, λεπτὸν δ'
αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιῤῥόμβεισι δ' ἀκουαί.
Κὰδ δ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται, τρόμος δὲ
πᾶσαν ἀγρεῖ, χλωροτέρα δὲ ποίας
ἐμμί, τεθνάκην δ' ὀλίγω ἐπιδευέην
φαίνομαι . . . .
Ἀλλὰ πᾶν τολματὸν, ἐπεὶ [καὶ] πένητα . . . .

Qui sedens adversus identidem te
Spectat et audit
Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, adspexi, nihil est super mî
* * *
Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma dimanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est;
Otio exultas, nimiumque gestis:
Otium et reges prius et beatas
Perdidit urbes.

3. *adversus te*, ore ad te verso, e regione. — *identidem*, iterum iterumque, subinde.

4. *Dulce ridentem.* illud Horatii (Od. I, 22, 23.) *Dulce ridentem Lalagen amabo, Dulce loquentem*, vel iis, qui primoribus labris Horatium degustarunt, notum.

* * * hanc lacunam supplevit olim *Parthenius* ita: *Quod loquar amens* et *Corradinus de Allio* sic: *voce loquendum*, sed utriusque proposita ratio nemini facile probabitur. Catullus sine dubio adiecit aliquid, quod significaret sibi nullam in toto corpore partem superesse, de qua usuram capere possit; adeo rigor, stupor et torpor *totum* eius *corpus* occupaverat, ita quidem, ut similis fere esset statuae lapideae. Vide igitur, an Catullus fortasse adiecerit *Corpore toto;* hanc coniecturam confirmare quodammodo videtur locus Lucretii III, 154—7., cuius versus hoc ipsum Sapphus odarium redolent: *Consentire animam totam per membra videmus: Sudoresitaque et pallorem exsistere t o t o C o r p o r e, et infringi linguam, vocemque aboriri, Caligare oculos, sonere (sonere* prisca forma pro: *sonare) aureis, succidere artus.* Primum coniiciebam: *Vocis in ore*, genitivus *vocis* pendet a *nihil.* Cf. Sapph. Odar. v. 7. 8.

9. *Lingua sed torpet.* apposite in hanc rem Plaut. Mil. Glor. Act. IV. Scen. 6. v. 55. 56. *Verbum hercle facere non potis, si accesserit ad te. Dum te o b t u e t u r, interim linguam oculi praeciderunt.*

13 sqq. *Otium, Catulle, tibi molestum est* cett. Ovidius quoque, pariter ac Catullus, fugam ignavi otii tanquam praesentissimum, quo pellatur amoris furor atque impetus, remedium commendat, Remed. Amor. 139. 140. *O t i a si tollas, periere Cupidinis arcus, Contemtaeque iacent, et sine luce, faces.* v. 143. 44. *Venus o t i a amat; qui finem quaeris amoris (Cedit amor rebus), res age* (rebus gerendis da operam): *tutus eris.* Terent. Heautont. Act. I. Sc. I. v. 58. *Nulla adeo ex re istuc fit* (indulges amoribus) *nisi ex n i m i o o t i o;* et huc pertinet illud Horatii Sat. II, 3, 14. *vitanda est improba Siren, D e s i d i a.*

15. *Otium et reges prius* cett. quod docent tam veteris quam recentioris aetatis exempla.

CARMEN LII.

AD SE IPSUM DE STRUMA ET VATINIO.

Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum peierat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

CARMEN LIII.

DE QUODAM ET CALVO.

Risi nescio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens:
Dì magni, salaputium disertum!

CARM. LII.

Quanta est Horatii indignatio de duobus abiectae conditionis hominibus, qui malis artibus non tantum ad magnarum divitiarum possessionem, sed etiam ad publicos honores pervenerant (Epod. IV, 3—16. Sat. I, 6, 38 seqq.): tanta in *Strumam Nonium* et *Vatinium*, indigno modo ad summos honores evectos, Catullus in hoc pusillo carmine exardescit.

1. *quid moraris emori?* cur diutius vivis in terra, ubi tam indigna ferenda sunt? Sic *morari vitam invisam* apud Virg. Aen. XI, 177. *Orcum morari* apud Horat. Od. III, 27, 50. et sic passim *annos, fata, mortem morari.*

2. De *Struma Nonio* vid. Plin. Hist. Nat. XXXVII, 21. et quod ibi de *Strumae Nonii gente* affert *Harduinus.* — *Vatinius*, ex Ciceronis oratione *in Vatinium* notissimus; cf. supr. ad XIV, 3.

CARM. LIII.

Vox nova, ridicula et, ut videtur, plebeia: *Salaputium*, Catullum ad hos versus scribendos impulit. Nam cum unus eorum, qui oratorem Licinium Calvum de Vatinii criminibus dicentem circumstabant, finita oratione percussus admiratione exclamasset: o *salaputium disertum*, Catullus a risu sibi temperare non potuit.

1. *corona*, de circulo auditorum, qui oratorem cingunt.

3. *Meus Calvus.* de Licinio Calvo vide supr. XIV. in *Argum.* Vocat Catullus eum suum, et supra l. l. v. 2. *iucundissimum*, quia Catulli fuit familiarissimus.

4. *manusque tollens.* est enim hoc a natura nobis insitum, ut re aliqua aut laeta aut tristi praeter modum perculsi sponte tollamus brachia.

5. *salaputium.* tanta est huius vocis lectionis et emendationum, quas critici attulerunt, copia et varietas, ut earum conspectus, quem risum apud Catullum movit auditoris cuiusdam Calvi exclamatio, eundem fere apud lectores moveat. Sunt in unaquaque fere lingua voces et locutiones, temere per iocum a plebecula imprimis confictae, quarum origo et etymologia ne divinari quidem, multo

CARMEN LIV.

AD CAESAREM.

Othonis caput oppido pusillum,
Vetti, rustice, semilauta crura,
Subtile et leve peditum Libonis,
Si non omnia, displicere vellem
Tibi, et Fuffitio seni recocto.
Irascere iterum meis iambis
Immerentibus, unice Imperator.

minus demonstrari potest. Eiusmodi vox est *salaputium*, quam alii a *salax* et *πόσθη* vel *πόσθων* (*cauda*), alii ab aliis vocibus compositam esse autumant. Ego vero huius vocis etymologiam malo cum ignorantibus ignorare, quam in extricanda re inextricabili tempus perdere. Quid significatum sit per *salaputium*, facile divinare possumus, et in hac divinatione acquiesco. Oratorem scilicet Licinium Calvum pusilli corporis hominem fuisse discimus ex Senec. Controv. III, 19. *Erat enim* (Calvus) *parvulus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum salaputium disertum.* Exclamatio igitur illa auditoris Calvi pronuntiata sine dubio est hac sententia: Dii magni, quanta est huius pusilli homuncionis eloquentia! Nostratum aliquis fortasse dixisset: *Himmel! welche Beredtsamkeit besitzt nicht dieses kleine Kerlchen!* vel in lingua plebeia: *dieser kleine Putzel.*

CARM. LIV.

Catullus miratur, quid sit, quod Caesar inter eos, quibuscum versetur, ferre possit homines deformes, foedos et rusticis sordibus squalentes. Vocat igitur Caesarem *rusticum*, plenos ruris et inficetiarum non fugientem.

2. *semilauta*, cum non omne lutum, sed eius pars tantum, abluitur, ut fieri solet apud rusticos.

4. *Si non omnia* cett. si non omnia in iis displicent, certe haec, quae dixi, tibi et Fuffitio displicere vellem.

5. *recocto.* homo *recoctus* iam dicitur, qui in rebus agendis diu multumque agitatus, versatus, exercitatus et quasi *percoctus* rerum naturam penitius perspexit et didicit edoctus experientia; est igitur *recoctus* rerum peritior, perspicacior, callidior, prudentior. Hinc Plautus Mil. Glor. Act. II, Sc. 2. v. 53. *Quidquid est, incoctum non expromet; bene coctum* (bene exploratum) *dabit.* — Horatio quoque placuit vox *recoctus* in hac significatione; vocat enim *scribam* bene et diu multumque in scribae munere exercitatum *recoctum* Sat. II, 5, 55. Similiter fere apud Phaedr. IV, 1. mus senex et macilentus, qui experientia bene pernoverat insidias, quae sibi struerentur, vocatur *retorridus*, h. e. annis factus prudentior et cautior.

7. *unice Imperator*, cf. supr. ad XXIX, 12.

CARMEN LV.

AD CAMERIUM.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres, ubi sint tuae tenebrae.
Te quaesivimus in minore campo,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Iovis sacrato,
In Magni simul ambulatione:
Femellas omnes, amice, prendi;
Quas voltu vidi tamen sereno,
Has vel te sic ipse flagitabam:

CARM. LV.

Sententia huius carminis est brevis, sed verba, quibus Catullus eam amplificavit, inter lascivos iocos salesque largiter fluunt. *Camerium* scilicet, amicum suum, quem omnes urbis regiones pervagatus frustra exquisiverat, ut latebras, quibus abditus teneatur, sibi palam faciat, vehementer obtestatur. — Ceterum in hoc carmine plures a criticis prolatae sunt emendationes, quia Catullus, ut observat *Illustr. Hermannus* in *Elem. D. M.* p. 368., passim pro dactylo paulo durius admisit spondeum.

1. *si forte non molestum est*, formula precandi pro vulgari: nisi gravaris (εἴ τι μὴ λυπεῖ).

2. *tuae tenebrae*, loca, quibus tu lates, obscura et abdita; innuit Catullus lustra vel tabernas. Hinc *Scaliger* ex antiqua, ut ait, scriptura pro *tenebrae* recepit *tabernae*, sed per *tenebras* designantur *tabernae*; lectio igitur Scaligeri habenda est pro glossa; rem conficit locus Ciceronis pro Sextio cap. 9. *Quis enim clavum tanti imperii tenere et gubernacula rei publicae tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum?*

3. *in minore campo*, sc. Martio, qui alias vocatur *Campus Tiberinus*, nunc *Campo de Fiore*.

4. *in circo*, sc. Maximo. — *libellis*, tabernis librariis, ut *medicinae* de tabernis, in quibus medicina venditur, apud Plautum, cuius locum iam apposite a *Vulpio* cum hoc Catulli loco comparatum iuvat adscribere, Amphitr. IV, 1, 1 seqq. *Naucratem, quem convenire volui, in navi non erat: Neque domi, neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit. Nam omnes plateas perreptavi, gymnasia et myropolia; Apud emporium atque in macello, in palaestra atque in foro, In medicinis, in tonstrinis, apud omnes aedes sacras. Sum defessus quaeritando, nusquam invenio Naucratem.*

5. *in templ. sup. I. sacr.* in Capitolio, ubi Iovi Supremo templum a Tarquinio Prisco fundatum est. Liv. I, 38.

6. *In Magn. ambul.* in porticu Pompeii, qui ob gloriae magnitudinem simpliciter *Magnus* vocatus est.

7. *prendi.* — *prendere* vel *prehendere aliquem* non est simpliciter alloqui vel rogare aliquem, sed sponte et data opera adire aliquem sermonis cum eo serendi causa; nos fere dicere solemus: *einen auf der Strafse anpacken.*

9. *Has vel te* cett. particula *vel*, utcunque eam iunxeris vel expli-

Camerium mihi, pessimae puellae.
Quaedam inquit, nudum sinum reducens:
En hic in roseis latet papillis.
Sed te iam ferre Herculei labos est.
Tanto te in fastu negas, amice!
Dic nobis, ubi sis futurus, ede,
Audacter committe, crede luci.
Num te lacteolae tenent puellae?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proiicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquela.
Vel, si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris.

cueris, putide abundat. Iam vero cum vocula *mel* simpliciter dicatur de eo, qui nobis dulcissimus est, vel quem habemus in deliciis, Plaut. Poen. Act. I. Sc. II, 184. *Meus ocellus, Meum mel, meum cor* cett. Coelius ad Cic. Epist. ad Famil. VIII, 8. *C. Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas* cett., num fortasse pro *vel* rescribi possit *mel?* hoc sensu: has, ut te mihi dulcissimum, vel te, quem in maximis deliciis habeo, restituerent, vehementer rogavi. Sed sic quoque ob monosyllaba moleste incedit hic versus. *Flagitare* cum gemino accusativo apud Cic. pro Domo cap. 6. *me frumentum flagitabant.* De Orat. II, 45. *Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat*, et alibi.

10. *Camerium mihi*, accommodate ad vulgarem loquendi morem, ubi, cum aliquid incitatius postulamus, verbum omittimus; hoc loco supplendum fere est: date, reddite, remittite. Similiter fere in patrio sermone festinantes reticere solent verbum aliquod, e. c. in his: *meinen Hut, meinen Stock* cett.

11. *nudum sinum reducens*, exquisite pro vulgari: denudans sinum, strophio, quo sinus vinctus et obtectus erat, *reducto*, h. e. remoto, resoluto.

12. *in roseis papillis.* μαζοὶ — τερπνότεροι κάλυκος Sosipat. in Anthol. Graec. Epigr. III, 6. T. I. p. 256., puella εἰαρόμασθος Rufin. in Anthol. Graec. Epigr. XIX, 1. Tom. III. p. 103. edit. *Iacobs.*

13. *Sed te* cett. *te ferre* elegante brevitate pro: laborem ferre te frustra per totam urbem quaeritando. — *Herculei* pro: Herculis, ut supra XXIX, 9. *Adoneus* pro: *Adonis*, ubi vide.

14. *Tanto te* cett. haec pressius enuntiata sunt in hanc fere sententiam: Tantus tibi, amice, inest fastus, ut tu, latens in tenebris, meam tecum consuetudinem detrectes et refugias. — *negare se* est: nolle cum aliquo versari, sive alicuius consuetudini se subducere.

15. *ubi sis futurus*, ubi te conveniendi mihi facturus sis copiam.

16. *crede luci*, ne retege in pectore, sed in lucem emitte, fac palam, aperi.

17. *lacteolae*, candidae; refer imprimis ad candidum collum vel ad niveam cervicem, ut partem pulchritudinis. Virgil. Aen. VIII, 660. *lactea colla* et Aen. X, 137. *lactea cervix.*

20. *Verbosa loquela*, verbosis de amoris felicitate narrationibus.

21. 22. *Vel, si vis* cett. vel, si ita placet, pro arbitrio amoris tui

Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveae citaeque bigae:
Adde huc plumipedes volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos iunctos, Cameri, mihi dicares:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem te, mi amice, quaeritando.

CARMEN LVI.

AD CATONEM.

O rem ridiculam, Cato, et iocosam,
Dignamque auribus et tuo cachinno.
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis iocosa.

fructus et gaudia retice et occulta, modo ne a vestro amore excludar. — *vostri*, quo tu et puella vos invicem amplexamini.

23—32. Vulgarem sententiam, „quamvis ego tam currendo quam volando essem velocissimus, tamen te frustra quaeritando languerem tandem virium defectu," poeta, prolatis exemplis eorum, qui cursu volatuve excelluisse dicuntur, docte exornavit.

23. *custos Cretum*, scilicet *Talus*, ferrei corporis gigas, qui, a Iove Europae vel Minoi custodiae Cretae datus, unoquoque die totam insulam ter circumire tenebatur, quod non nisi summa velocitate fieri poterat. Locus classicus de eo est apud Apollon. Rhod. IV, 1637 — 88. — *si, si, si*, etsi, respondet v. 30. *tamen.*

24. *Pegaseo volatu.* notissima est *Pegasi*, alati illius equi, fabula.

25. *Ladas*, tantae velocitatis apud Alexandrum Macedonem cursor, ut in superata ab eo arena ne pedum quidem compareret vestigium. Cf. *Muret.* — *penn. Pers.* lepide Perseus dicitur *pennipes* ab alatis talaribus, quae ille ad Medusam necandam profecturus a Mercurio acceperat. vid. Apollodor. II, 4. et ibi *Heyn.* Pausan. III, 17.

26. *Non Rhes. niv. cit. big.* de fabula equorum alborum et velocitate insignium, quos rex Thracum, Rhesus, Troianis auxilio veniens, adduxerat, vid. Eustath. et Schol. ad Hom. Iliad. X, 435.

27. *Adde huc* cett. huc adde quidquid est eorum, qui vel talaribus vel alis volant.

29. *Quos iunctos* cett. quos inter se iunctos ad me simul celerrimo cursu auferendum destinares vel constitueres.

31. *peresus*, enectus, enervatus, confectus.

CARM. LVI.

Si quis nostra aetate, ut olim Catullus in hoc breviore carmine, pupulum in re Venerea deprehensum risus movendi causa describere vellet, is non iniuria, puto, furcillis e Musarum commercio eiiceretur.

Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem. Hunc ego, si placet Dionae,
Pro telo rigida mea cecidi.

CARMEN LVII.

AD MAMURRAM ET CAESAREM.

Pulchre convenit improbis cinaedis
Mamurrae pathicoque Caesarique.
Nec mirum: maculae pares utrisque,
Urbana altera et illa Formiana,
Impressae resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli utrique:
Uno in lectulo, erudituli ambo:
Non hic, quam ille, magis vorax adulter,
Rivales socii puellularum.
Pulchre convenit improbis cinaedis.

5. *Deprendi.* — *deprehendi* vel *deprendi* proprie dicuntur qui in re quadam turpi vel illicita subito opprimuntur. Sic καταλαμβάνειν apud Graecos.

6. *Dionae. Dione*, mater Veneris, non raro pro ipsa Venere ponitur. Pro formula illa solemni *si diis placet*, qua in re nova, ridicula, insolita, indigna, cett. ironice utimur, iam accommodate ad rem Veneream dixit Catullus: *si placet Dionae.*

7. *Pro telo*, teli loco. — *rigida mea*, sc. mentula.

CARM. LVII.

Mamurra et Caesar, cinaedi, ut par nobile fratrum, vel ut gemini in turpi libidinis exercitio, de integro (cf. supr. Carm. XXIX.) infamantur.

1. *Pulchre convenit* cett. mirus quidam consensus vel maxima similitudo est improbis cinaedis; *convenire alicui* dicitur is, qui cum alio in aliqua re consentit et amice conspirat.

2. *Mamurrae path. Caes.* iunge: *et Mamurrae et Caesari*, utrique cinaedo.

3—5. *maculae pares* cett. Sensus: utrique pariter, alteri quidem (Caesari) in urbe (Romae) et alteri (*et illi*), Mamurrae (*Formiis*, veteri Campaniae oppido, nato), ob insaniam per luxum et libidines omnia perdendi, infames notae adspersae vel inustae sunt, quae abstergi vel exuri nequeunt.

6. *Morbosi*, infames morbo, cuius causa est libido. — *gemelli utrique*, ubi alter alteri, sicut *gemellus* ore et corporis habitu *gemello*, est simillimus. Hor. Sat. II, 3, 243, 4. *par nobile fratrum, Nequitia et nugis pravorum et amore g e m e l l u m;* et Epist. I, 10, 3. *ad caetera paene g e m e l l i, Fraternis animis.*

7. *Uno in lectulo*, libidinis exercendae causa.

8. *vorax*, gula absumens et deglutiens bona. Lepide *voracitas* helluonis apud Ciceronem in Philipp. II, 27. comparatur cum *vorace* Charybdi: *Quae Charybdis tam v o r a x tot res tam cito absorbere potuisset?*

9. *socii*, sociales, communes.

CARMEN LVIII.

AD CAELIUM DE LESBIA.

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

CARMEN LIX.

DE RUFA ET RUFULO.

Bononiensis Rufa Rufulum fellat,

CARM. LVIII.

Quemadmodum Catullus Lesbiam suam, ut puellam antea omnibus Veneris muneribus cumulatam, magnifice celebravit et ad caelum usque extulit, ita eandem nunc in his versibus ad Caelium scriptis in angiportum, ubi stipendia faciebant prostibula, detrudit et contemtui exponit. — Si per *Caelium* intelligendus est, ut nonnulli contendunt, *M. Caelius Rufus*, pro quo habita est a Cicerone oratio, ii, qui plura de eius vita et moribus scire cupiunt, adeant *Manutium in Praef. ad Comment. in Epistolas Caelianas.*

1. *illa*, puella olim venustissima et, quam amarem, dignissima; qui laude aliqua excellit et huius laudis gloria cuique notus est, simpliciter nonnunquam dicitur *ille*, sicuti is, quem aversamur, *iste*; repetitur autem vox *illa* cum vi, ut in re simillima fere apud Horatium Od. IV, 13, 18. ad Lycen: *Quo fugit Venus? heu! quove color? decens Quo motus? quid habes i l l i u s, i l l i u s* (Lyces), *Quae spirabat amores, Quae me surpuerat mihi.*

4. *angiportis*, locis angustis et a via publica remotis, meretricum quasi tabernaculis. Horatius ad Lydiam, quae facta erat anus, Od. I, 25, 10. *moechos anus arrogantes Flebis in solo levis a n g i p o r t u.*

5. *Glubit*, vox obscena e palaestra Veneris. — *magnanimos*, per ironiam; Romani (*Remi nepotes*), qui magno animo res gerere debebant in latis campis, nunc libidinis exercendae causa levi et pusillo animo in angiportis reptare solebant.

CARM. LIX.

Detestabile libidinis genus, sine pudore a Catullo his versibus palam factum, multo detestabilius factum est eo, quod Rufulus libidinis administra usus esse dicitur muliere abiectissima et ob rerum inopiam voracissima.

1. *Bononiensis*, e Bononia (nunc *Bologna*), Romanorum olim colonia. In nominibus *Rufa Rufulum* lusisse videtur Catullus. *Rufulus* ortus fortasse fuit e *Ruforum* gente, quae, ut docuit *Vulpius* e Martial. VI, 85., Bononiae floruerit. Hic igitur e gente Ruforum Rufus contemtim fortasse in diminutivo dictus est *Rufulus*. Uxor autem Menenii, quam Rufulus simul uxoris loco habuerit, iocose dicta videtur *Rufa*. — *fellat.* notionem obscenae vocis *fellare* discant obscenitatis investigatores e Lexicis.

Uxor Meneni, saepe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo coenam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

CARMEN LX.

Num te leaena montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit ac tetra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? O nimis fero corde!

2. *sepulcret.* *sepulcretum*, locus mortuorum sepulcris sacratus.

3. *ipso rap. de rogo coenam.* ad solemnitatem, qua sepeliebantur mortui, pertinebat *silicernium* sive coena funebris, quam rogo comburendo impositam, ut ex hoc ipso loco discimus, rapere solebat infimae plebis voracitas, unde isti raptores apud Plautum Pseudol. I, 3, 127. *bustirapi* vocantur. vid. *Kirchm. de Funeribus Romanorum* IV, 5. et *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 519. — Huc spectat locus Terent. Eunuch. III, 2, 39. *E flamma petere te cibum posse arbitror;* et Tibull. I, 5, 53. *Ipsa, fame stimulante furens, escasque sepulcris Quaerat, et a saevis ossa relicta lupis.* ubi pro *herbasque* recte *Muretus* legi iubet: *escasque;* fame enim stimulati non cum veneficis *herbas* in sepulcris, sed cum esurientibus escas sepulcrales petebant.

4. *prosequens panem*, manus pani iniiciens.

5. *ustore*, servo, cui mortui corpus in rogo comburendi datum est negotium, *semiraso*, quia eiusmodi homines externum corporis cultum negligere solent.

CARM. LX.

Lentissimi durissimique pectoris amicum quendam, quod ille non in societatem venerat doloris, quem de re quadam acerbissima susceperat poeta, comparat cum leaenae aut Scyllae saevitia. — Nomen huius amici non apparet in fronte horum versuum. Compara supr. Carm. XXXVIII. ad *Cornificium*, cui Catullus pariter intermissionem allocutionis in infortunio quodam exprobrat.

1. 2. *Num te leaena* cett. infr. LXIV, 154. *Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?* ubi in hanc rem vide plura. — *aut Scylla latrans* cett. de Scylla, Phorci et Crataeidos Nymphae filia, mutata *(infima inguinum parte)* pube tenus in monstrosam canum latrantium formam, et saeviente in naves ei appropinquantes, lege fabulam apud Ovid. Metam. XIV, 59. et Hygin. Fab. CLI.

4. *in novissimo casu*, in re adversa, quae nuperrime mihi accidit. — *supplicis vocem contemtam haberes?* eleganter pro: precibus meis aures obstrueres?

CARMEN LXI.

IN NUPTIAS IULIAE ET MANLII.

Collis o Heliconii
Cultor, Uraniae genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee:

CARM. LXI.

Tanta est huius carminis suavitas et dulcedo, ut eius lectio largiter compenset grave illud taedium, quod passim creat abominabilis et pudenda Catulli obscenitas. Est *Epithalamium in Nuptias Iuliae et Manlii*, in quo poeta studiose sectatus et complexus est ea, quibus nuptialis dies apud Romanos celebrari et transigi solebat. — Iuvat omne huius carminis argumentum in haec pauca redigere: Primum poeta solemni more Hymenaeum, ut deum secundum et propitium, dictis nuptiis adesse, laeta carmina canere, inter tripudia facem nuptialem quatere, et venustissimae puellae cum Manlio nuptias divina sua praesentia sancire et confirmare iubet. Tum ad virgines, quae adsunt, se convertit, et earum esse ait, ut Hymenaeum mutuis simul carminibus advocent, et precibus, quibus ille ad sponsum sponsamque quovis felicitatis genere mactandos permoveatur, suas iungant. Ipsa munera et beneficia, quae singulari Hymenaei favori et divinitati debeantur, inde a vers. 51. usque ad v. 75. enarrantur. — Iam sequitur vivis coloribus expressa tam pompae nuptialis, quam ipsius pulcherrimae sponsae, decenter incedentis et furtivas lacrimas demittentis, descriptio, dum chorus virginum canit. — Inde a versu 121. puerorum chorus cantare incipit. Ritus nuptiales commemorantur; fausta vota nuncupantur; sponsus et sponsa laudibus extolluntur; bona praecepta usque ad carminis finem adsperguntur. — *Aulus Manlius Torquatus* idem esse videtur, cuius singularem in se amorem et amicitiam magnifice Catullus extollit infra in Elegia mollissimo animo composita et Manlii nomini inscripta, LXVIII. — De Inscriptione huius carminis, quam exhibent veteres Editiones: *Epithalamium*, observat *Muretus* haec: *Est hoc carmen quidem nuptiale, nec tamen proprie* E p i t h a l a m i u m; *nam* E p i t h a l a m i a *canebantur a virginibus, cum iam nova nupta in lecto viri collocata esset.* Sed a carmine, in quo virginum puerorumque chorus canens et sponsam ad sponsi domum usque comitans ipsamque domum intrans inducitur, latiore certe sensu, haud, puto, aliena esse videtur Inscriptio: *Epithalamium.* — Caeterum hoc totum carmen spirat poetam quendam Graecum, quem Catullus in eo componendo ante oculos habuisse videtur. — Quod ad metrum attinet, pro dactylo nonnunquam trochaeus, et in prima sede versus quarti pro trochaeo spondeus positus est.

1. *Collis Heliconii Cultor.* Hymenaeus, ut filius *(genus)* Uraniae, maternam quasi sedem in Helicone habet.

3. *rapis.* quasi puellae non sponte Hymenaei nutum sequantur, sed vi quadam ab eo ex virginum societate abducantur. Quod bene respondet modestiae illi, qua virgines nuptias, quas mente requirunt, refugere videntur.

4. o *Hymenaee Hymen* cett. repetitum et multiplicatum nomen

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape: laetus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum:

Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate taedam.

Namque Iulia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Iudicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:

Hymenaei refer ad morem, qui regnat in cantibus. cf. Aristoph. in Avv. 1740.

6. *Cinge temp. flor.* de corollis, quibus tempora cingebant sponsae, vid. *Paschal.* de Coron. II, 16. Peculiarem libellum *de coronis nuptialibus* scripsit *Maderus, Helmst.* 1688.

8. *Flammeum*, veli vel tegminis quoddam genus, quo sponsae in pompa nuptiali vultum obtegere solebant; dictum, ut videtur, a *flammeo* (flammae instar radiante) colore, nos: *Feuerfarbe.* Lucan. II, 361. *Lutea demissos velarunt f l a m m e a vultus.*

10 *soccum.* — *soccus* calceamenti genus, quod diebus laetis vel festis tam puellae elegantiores, quam pueri virique molliores placendi causa gestare solebant; horum soccorum color fuit *luteus*, h. e. croceus, flavus, splendide lucens, nos: *goldgelb.* De omni *soccorum* usu egit *Balduinus de Calc. Antiq.* cap. XVI.

13. *Voce tinnula*, sonos tenues, acutos clarosque edente, clarisona, unde Hymenaeus apud Callimachum Hymn. in Del 296. dicitur εὐήχης.

14. *Pelle hum. ped.* festive pro: salta, ut *alterno pede terram quatere* pro: saltare, apud Horat. Od. I, 4, 7. De more, quo laetitiae exprimendae causa saltando incedebat Hymenaeus in pompa nuptiali, cf. Homer. Iliad. XVIII, 493. — *Pineam quate taedam*, facem e ligno pineo sectam. Hom. l. l. 492. δαΐδων ὕπο λαμπομενάων.

16. *Iulia*, vel, ut veteres quidam Codd. exhibent, *Iunia*, vel secundum Codicem Dresd. *Vinia*, e gente obscura et ignobili orta esse videtur. Nam si illa prognata fuisset e gente nobili, haud dubie de eius nobilitate adiecisset aliquid Catullus.

17—20. *Qualis* cett. eleganter pro vulgari: cuius pulchritudo non superatur Veneris pulchritudine. — *Idalium*, cf. supr. XXXVI, 12. Comparat autem Catullus venustatis formam *Iuliae* non cum quotidiana, ut ita dicam, *Veneris* venustate, sed cum illa, qua Venus, omnia pulchritudinis lenocinia expromens et summa arte ad placendum sese componens, una cum Minerva et Iunone pulchritudinis spectatori et iudici, Paridi, se conspiciendam obtulit.

Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades Deae
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Thespiae
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super inrigat
Frigerans Aganippe:
Ad domum dominam voca,
Coniugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans.

21 — 25. *Floridis velut* cett. Sensus: Iulia nitet et efflorescit sicut myrtus, quam Hamadryades fovent nutriuntque, ut sub eius ramis sive umbra hilaritati et lusibus indulgeant. — *Asia*, intellige *Asiam* paludem in Lydia, regione Asiae ad Caystrum, ubi fuit *myrtetum.* — Comparatur autem Iulia opportune cum *myrto*, quia illa ut sponsa nunc gestabat corollam myrteam. Aeque opportune cum hoc loco vetus meus candidissimi pectoris amicus *Mitscherlichius* ad Hymn. in Cererem p. 116 comparat Aristoph. Avv. v. 1099. — *Ludicrum*, ut haberent Hamadryades amoenum et umbrosum locum, quo luderent. — *roscido humore*, pro: roris humore, vel simpliciter pro: rore. Plin. IX, 10. *Testudines roscido humore viventes.*

27. 28. *Thespiae Rup. Aon. spec.* Heliconem, qui inde a Thespiis, urbe Boeotiae, in altum surgere incipit.

29. 30. *Lympha quos* cett. iunge: *quos* (specus, quod antrum) *Aganippe* (fons Heliconis), *lympha frigerans* (aquae suae frigore recreans), *super* (desuper, e superiore iugi loco) *inrigat* (destillando adspergit). *Lympha Aganippe* pro vulgari: lympha Aganippes. Pro *lympha* sunt qui malint: *Nympha.*

31. Pro *Ac*, quod friget in hac incitatiore oratione, dedi *Ad*; simpliciter enim *vocare domum* est vocare aliquem, ut domum redeat, revocare; at Iulia nondum in sponsi domo habitabat, sed primum, ut ibi habitaret, *ad* eam pergebat. Confirmatur autem lectio *ad* plurium Codd. auctoritate. — *dominam.* lepide tam puellae, quam matronae dicuntur *dominae*, quia in eos, a quibus amantur, tanquam serviliter sibi addictos, imperium exercent.

33 — 35. *Mentem revinciens* cett. Sensus: dum mentem sponsae cum mente sponsi firmiter iungis et conglutinas, more hederae, quae huc illuc serpens mutuis amplexibus arboris trunco implicatur. — Natura hederae, arboris trunco vel alii rei obiectae sese applicantis et tenaciter ei adhaerentis, passim translata est ad mutuos amantium amplexus, sive ad amores gratissima compede vinctos. Hor. Od. I, 36, 20. *Damalis — Lascivis hederis ambitiosior*, et Epod. XV, 5. cf. *Interpr.* ad h. l. — *he-*

Vos item simul integrae
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite in modum
Dicite: O Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee:
Ut lubentius, audiens
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonae Veneris, boni
Coniugator amoris.
Quis Deus magis ac magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Coelitum? O Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee.
Te suis tremulus parens
Invocat, tibi virgines
Zonula soluunt sinus,
Te timens cupida novus
Captat aure maritus.
Tu fero iuveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suae

dera errans (*κισσὸς πολυπλανής*). Cic. Cat. Mai. 15. *serpens multiplici lapsu et erratico.*

38. *in modum.* per *modum* intellige certos sonos et numeros, ad quos vox cantantis temperari et inflecti debet; nos: *harmonisch einstimmen.*

43. *ad suum Munus*, scilicet ut coniugium firmet et bonum faustumque esse iubeat. Hoc enim ad nuptiarum praesidis munus pertinet.

46. *magis ac magis*, pro vulgari: magis magisque; pro inepta lectione *ah*, et pro multo ineptiore *amatis* (quamvis illa exhibetur in plurimis Codd.) *Est petendus amantibus*, rectissime iam *Cl. Silligius* secundum *Vossium* et *Guarinum* recepit *ac.*

48. Bene *Guar.* et *Muretus* offerunt *colant* pro: *colent.*

51. *suis*, sc. filiabus; *invocat*, ut filias ad gentem propagandam nuptiarum solemnitate cum maritis iungas. — *tibi*, tuis auspiciis.

53. *Zon. sol. sin.* vid. supr. ad II, 13.

54. 55. *Te tim.* cett. iunge: *novus maritus cupida aure captat timens* (paulo timidior, ut iuvenis amoris mysteriis nondum initiatus) *te* (carmina, quae in honorem *tuum* a choro puerorum et virginum decantantur).—Pro *timens* prolata est lectio *tumens* (sc. libidine); modestius certe est *timens* quam *tumens.*

56. *fero iuveni.* significanter iam iuvenis dicitur *ferus*, qui nondum amoris potentia mitigatus ferox adhuc est et indomitus.

Dedis, o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee.
Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at potest,
Te volente. Quis huic Deo
Compararier ausit?
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe iungier: at potest,
Te volente. Quis huic Deo
Compararier ausit?
Quae tuis careat sacris,
Non queat dare praesides
Terra finibus: at queat,
Te volente. Quis huic Deo
Compararier ausit?
Claustra pandite ianuae,
Virgo adest. Viden', ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta.

59. *Dedis.* — *dedere aliquid alicui* dicitur passim simpliciter pro: dare alicui aliquid, sed hoc loco, ut observat *Muretus*, est *quiddam plus*, scilicet pro: dare alicui aliquid, quod ei sit proprium et perpetuum; in hanc sententiam apud Virg. Aen. I, 73. Iuno, quasi esset Hymenaeus, dicit Aeolo: *Deiopeam Connubio iungam stabili propriamque dicabo.* Similiter *dedere* infr. LXIV, 375. *Dedatur cupido iam dudum nupta marito.*

61—64. *Nil potest* cett. Sensus: Sine te Venus non potest id *commodi capere* h. e. id assequi, ut amantibus fiat, quod bona fama comprobet; at potest, si tu accesseris, Hymenaee, et tua benevolentia amores solemni nuptiarum ritu confirmaveris. Catullus obversatus est Claudiano in Epithal. Pall. et Celer. 33. *nullum iunxisse cubile Hoc sine* (Hymenaeo), *nec primas fas est attollere taedas.*

66. *sine te*, sine tuis auspiciis.

67. *Liberos*, nempe legitimos h. e. e iusto matrimonio prognatos. — *nec parens Stirpe iungier*, nec parentis nomen et genus stirpe propagari ad posteros.

72. *praesides*, rerum publicarum administratores, qui debebant esse filii e legitimo matrimonio procreati.

73. *finibus*, sc. imperii, imperio.

78. *Splend. quat. com.* eleganter pro: coruscant, rutilant, scintillant; radii, quos ignis, faces, stellae cett. fundunt, apposite ad rei imaginem passim apud poetas dicuntur *comae, crines.* Ipsum solem *ignicomum* dixit Auson. Epist. VII, 8.

Tardat ingenuus pudor,
Quae tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta.
Flere desine. Non tibi,
Aurunculeia, periculum est,
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta, si
Iam videtur, et audias
Nostra verba. (Viden'? faces
Aureas quatiunt comas.)
Prodeas, nova nupta.
Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera,

81—83. Hic locus aperte corruptus (quis enim Catullum tam perplexe scripsisse existimet?) non nisi praesente quodam remedio sanari posse videtur. Hoc suppeditent, qui tale suppeditare possunt. Interim hunc qualemcunque sensum inde extorquere studui: „Ingenuus quidem pudor iam per se tardat, Iulia tamen, audiens, quod necesse sit ire (dum ad eundum impellitur), *magis flet*, effusius lacrimat, et proinde effusius lacrimando retardatur."

86—90. *Auruncu`leia.* e gente Cottarum, quorum cognomen *Aurunculeius* fuerit (vid. Liv. in Freinshem. Suppl. CIV, 57. Caesar. de B. G. II, 11.), orta esse putatur *Iulia*, unde illa cognomen *Aurunculeia* traxisse videtur. — *Non tibi periculum est, ne qua femina* cett. elegantissime pro vulgari: Non tibi verendum est, ne ulla unquam femina extiterit te pulchrior; *Clarum ab Oc. d. Vid. ven.*, claram solis ab Oceano prodeuntis lucem conspexerit.

91 — 93. *Talis in vario* cett. exempla comparationis pulchrae puellae cum flore, in horto aliquo mirifice enitente et exsplendescente, ubique apud poetas obvia; cf. infr. LXII, 39 seqq. — *vario*, ubi flores varii coloris nascuntur.

97. *si Iam vid.* iam mollius poeta tractat Iuliam, dum eam blandiore hortatu ad festinationem pellere studet. — *et audias Nostra verba*, neve respuas preces nostras.

99. *Aur. quat. comas.* Sic apud Val. Flacc. IV, 92. *sol* dicitur *auricomus*. cf. supr. v. 78.

102. *Deditus in mala adultera*, ut *ardere in aliqua* apud Ovid. Met. VIII, 50. et passim.

Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta qui velut assitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. Sed abit dies;
Prodeas, nova nupta.

* * *
* * *
* * *

O cubile, quot (o nimis
Candido pede lecti)
Quae tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quae vaga
Nocte, quae media die
Gaudeat. Sed abit dies;
Prodeas, nova nupta.
Tollite, o pueri, faces:

106—109. *Lenta qui* cett. sed ille in tuum complexum implicabitur, sicut vitis lenta implicatur arboribus prope positis. — Vites apud veteres non sicut apud nos palis, sed arborum, praecipue ulmorum et platanorum, truncis applicari et sic educi solebant. Vites igitur amplectebantur quodammodo arborum truncos, et hic amplexus ad amantium vel coniugum amplexum translatus est. Hinc suaviter vites *maritare arbores* dicuntur. Horat. Epod. II, 9. 10. *Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos.* Plin. XVIII, 28. *Populus alba vitibus nupta.* — *Implicabitur in tuum complexum.* Ovid. Heroid. V, 47. *Non sic appositis vincitur vitibus ulmus, Ut tua sunt collo brachia nexa meo.* — Similiter de mutuo amore et mutuis amplexibus in hoc carmine supr. v. 34. 35. *hedera tenax huc illuc errans arborem implicare* dicitur.

* * *
* * *
* * *

Ad hanc lacunam, quae tres versus absorbuit, confluxerunt plures, qui operam in ea explenda ponerent, vel potius perderent. Nam quidquid in eiusmodi lacunis explendis affertur, comportatur, excogitatur, non vetustatis honore et auctoritate ornari, sed pro adulterino ingeniorum fetu haberi solet. Itaque ne verbum quidem addam.

116. *veniunt*, obveniunt, obtingunt, *hero*, novo marito.

117. *gaudia*, quae percipiuntur ex amoribus. — *gaudia gaudere.* Terent. Andr. V, 5, 8. *Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.* — *nox vaga*, quae non stat vel consistit, sed currit et ulterius usque promovetur; sic *vagus sol, vaga luna.*

121. *Tollite*, sc. in altum, agitate.

Flammeum video venire.
Ite, concinite in modum:
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.

Neu diu taceat procax
Fescennina locutio;
Neu nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.

Da nuces pueris, iners
Concubine. Satis diu
Lusisti nucibus. Lubet
Iam servire Talassio.
Concubine, nuces da.

Sordebant tibi villicae,
Concubine, hodie atque heri:

122. *Flammeum*, sponsam flammeo obtectam; vid. supr. ad v. 8.

126. 127. *procax Fescennina locutio*. intellige carmina temere composita, procacia, lasciva, in iocis salibusque nuptialibus versantia; nomen traxerunt a *Fescennia*, oppido Etruriae, ubi primum eiusmodi carmina diebus nuptialibus licentius iactata esse dicuntur. Horat. Epist. II, 1, 145. vocat haec carmina *Fescenninam licentiam*. vid. *Serv.* ad Virg. Aen. VII, 695. cf. Liv. VII, 2.

128—130. *Neu nuces* cett. iunge et explica: *Neu concubinus, audiens amorem domini* (qui concubini adhuc fuerat dominus) per nuptias ab eo *desertum* et finitum esse, *neget nuces pueris*, deneget ob invidiam pueris nuces, quas illi spargunt, h. e. neve cesset puerilia relinquere pueris. Scilicet apud Romanos vigebat mos die nuptiali spargendi nuces, quas raperent et iis luderent pueri, quo quidem tam sponsus quam concubinus moneretur nunc tempus adesse, quo finis imponendus esset puerilibus. Hinc Persius Sat. I, 10. *relictis nucibus* pro: relictis puerilibus. Copiose de hoc *more nuces spargendi* disputat *Casaubonus* ad l. l. Persii et *Cerda* ad Virg. Eclog. VIII, 30. ubi est: *sparge, marite, nuces*. Ceterum vulgari more apud Romanos pueri solebant *ludere nucibus*. Apud Hor. Sat. II, 3, 172. *Oppidius* ad filium *Aulum*: *postquam te talos, Aule, n u c e s que Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi*. — *Concubinus*, mollis puer, cinaedus, παρακοίτης.

131. *iners*, significanter de effectu libidinis, quae cinaedos reddit inertes, ignavos, infirmos et stupidos.

133. *Satis diu Lus. nuc.* satis diu, ut puer nucibus ludens, tractasti puerilia.

134. *Lubet Iam servire Talassio*, nunc facere, quod fieri iubet Talassius, Hymenaeus. Iam vero, cum instae nuptiae novum maritum iuberent abstinere, quibus ille adhuc indulserat, amoribus, suaviter mollis puer non amplius domini amoribus, sed Hymenaeo *servire* iubetur. Unde *Hymenaeus* dictus sit *Talassius*, docet Liv. I, 9.

136—139. *Sordebant tibi* cett. revocata vetere lectione *villicae* hic locus vexatissimus fundere mihi videtur sensum fere hunc: De-

Nunc tuum cinerarius
Tondet os. Miser, ah miser
Concubine, nuces da.
   Diceris male te a tuis,
Unguentate, glabris, marite,
Abstinere: sed abstine.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
   Scimus haec tibi, quae licent,
Sola cognita: sed marito
Ista non eadem licent.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
   Nupta tu quoque, quae tuus
Vir petet, cave ne neges,
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
   En tibi domus ut potens

spiciebas (*hodie atque heri*) adhuc, concubine, mulierculas in villis habitantes, nimis scilicet credens colori tui oris, quod nunc tondet cinerarius. — *Cinerarius* non tantum capillos calamistro crispasse, sed etiam succrescentem barbam novacula totondisse videtur. — *hodie atque heri*, *χϑὲς καὶ τήμερον*, *χϑὲς καὶ πρώην*; vid. *Wesseling.* ad Diodor. Sic. II, 5. et ad Herodot. II, 53. — *Miser, ah miser!* dum ridet poeta concubini sortem, simulanter miserationem prae se fert.

141 — 143. *Diceris male* cett. Tu, marite, qui hodie unguentis delibutus es, diceris (*male*) aegre abstinere te a (*glabris*) pueris tuis mollibus et imberbibus. — *abstinere aliqua re* et *abstinere se aliqua re* est unum idemque.

146. 147. *Scimus* cett. scimus te in consuetudine cum mollibus pueris haec sola, quae licent, cognita et comperta habere, sive: te haec sola perpetrasse et exercuisse. Quae usus docet et experientia, in re Venerea quoque *cognosci* dicuntur. — *Ista eadem*, pro simplice: eadem; non raro enim ad *idem* rei augendae causa aliud pronomen additur. Cic. Pro Leg. Manil. c. 7. *Idem iste Mithridates.* Post redit. in Sen. c. 13. *ipse ille animus* *i d e m* *meus.* — In voce *marito* vocalem o absorbet in versu sequente *i.*

151 — 154. *Nupta tu quoq.* cett. Tu quoque, nupta, noli repudiare, quas vir tuus apud te percipere cupiet, amoris delicias, ne ille hoc nomine sectetur et adeat alias mulierculas.

156 — 163. *En tibi* cett. mutata distinctione et missis ineptis lectionibus explicandus mihi hic locus videtur sic: En tibi quam potens et beata est domus viri tui! Quo quidem viro, tanquam (*tibicine*) huius domus fulcro, serviat haec domus tibi ut dominae ad extremum usque vitae terminum.— *potens* refer ad gentis nobilitatem

Et beata viri tui!
Quo tibicine serviat,
(Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee)
Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Adspice, unus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.

et auctoritatem, *beata* ad gentis opulentiam. Lectio *tibicine* debetur *Vossio*, quae certe ad corruptae lectionis ductus: *quae tibi sine fine servit*, proxime accedit. Quis ferat *sine fine* usque *ad vitae finem!* — Ceterum apposite maritus vocatur *tibicen*, quia in marito, tanquam in columna, *omnis domus* (ut utar verbis Virgilii Aen. XII, 59.) *inclinata recumbit.*

161 — 63. *Usque dum* cett. en artem mirificam, qua poeta simplicem sententiam *usque ad mortem* luculentissime exornavit! Iunge: *Usque dum* (donec) *cana anilitas, movens tremulum tempus, omnibus* (quidquid est haeredum) *omnia* (bona) *annuit* (annuendo cedit). — *tempus* pro plurali *tempora*, ut apud Cic. Auct. ad Herenn. IV, 55.

166 — 68. *Transfer om. cum bono* cett. Sponsa, cum sponsi domum ingrederetur, a paranymphis trans limen portata esse dicitur, ideo, ut videtur, ne illa pedem limine offenderet, quod ad rem infausti ominis referebatur. Alii hunc morem referunt ad sponsae simulationem, quasi illa invito et repugnante animo virginitatis honorem exuat. — *aureolos*, pulchros, ut *aurea Venus, aureus iuvenis.* — *forem rasilem*, ascia levigatam.

171. *unus*, prae aliis eminens, egregius; vid. supr. XXII, 10. — *accubans*, sc. mensae geniali, ubi sponsus cum aequalibus adventum sponsae exspectabat.

172. *Tyrio in toro*, lecto tricliniari, cui instratum erat peristroma purpureum. — Accubare autem sponsus cum aequalibus solebat mensae, donec sponsae cum comitatu appropinquantis nuntio inde avocabatur; hinc Epithalam. seq. v. 3. *Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas: Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.*

173. *Tot. imm. tibi*, ardentissimo amore flagrans tuos amplexus appetat, vel in tuos amplexus ruat.

Illi, non minus ac tibi,
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Mitte brachiolum teres,
Praetextate, puellulae;
Iam cubile adeant viri.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Vos bonae senibus viris
Cognitae bene feminae,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Iam licet venias, marite;
Uxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut
Luteumve papaver.
At, marite, (ita me iuvent

176—78. *Illi, non minus* cett. illius pectus aeque ac tuum amoris flamma uritur, *sed penite magis*, sed tectius et penitius, dum flammam, qua uritur, ex pudore virginali dissimulat.

181—90. Iam alloquitur poeta praetextatos et feminas pronubas, a quibus sponsae in lectum novi mariti deducebantur et in eo collocabantur. — *Mitte puellulae brachiolum*. qui recedunt ab aliquo, quem deducebant, eius brachium e manibus dimittunt. — *Praetextate*. Festus: *praetextati* (pueri ingenui) *tres nubentem deducunt: unus, qui facem praefert, duo, qui nubentem ducunt.*

183. *Iam cubile adeant viri*, nimirum sponsa et pronubae.

186. 87. *Vos bonae* cett. fuerunt igitur *pronubae* honestae matronae, quarum in amore fides et castitatis sanctitas maritis senibus longo usu *cognita* h. e. spectata fuerat.

194. *parthenice* vel *parthenium*, herba, ut ex hoc loco patet, *albi coloris*; putatur esse herba, quae in patrio sermone vocatur: *Mutterkraut.*

195. *Luteumve papaver*. per colorem *luteum* designari colorem pulcherrime splendentem, vel inde potest intelligi, quod diebus festis, laetis, praecipue diebus nuptialibus, vestes, socci (cf. supr. in hoc Carm. v. 10.) et alia luteo colore tincta gestari solebant. Eiusmodi color comparatur cum papaveris coloribus. *Aurora lutea* apud Virg. Aen. VII, 26. Scilicet apud Romanos una voce (e. c. per vocem *caeruleus*, *purpureus*, *luteus*, *flavus*) plures colores, qui sibi essent affines, expressi sunt. Disputavimus olim de hac re in *Commentatione de Veterum coloribus*, Gothae. 1788.

Coelites) nihilominus
Pulcher es, neque te Venus
Negligit. Sed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Iam venis. Bona te Venus
Iuverit: quoniam palam
Quod cupis capis, et bonum
Non abscondis amorem.
Ille pulveris Africi
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vostri numerare volt
Multa millia ludi.
Ludite, ut lubet, et brevi
Liberos date. Non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus, volo, parvolus
Matris e gremio suae
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.

197. *nihilominus.* quamvis sponsa est pulcherrima, nihilominus cett.

198. *neque te Venus negligit*, neque tibi Venus in distribuendis pulchritudinis muneribus noverca fuit.

204. *bonum*, honestum, honorificum.

206. *pulveris Africi.* vulgo legitur: *pulvis Erythraei* vel *Erythrii;* sed quis sibi persuadeat Catullum *pulvis* in genitivo pro *pulveris* scripsisse? Huc accedit, quod teste *Statio* omnes MSS. et editiones antiquissimae constanter servant *pulveris.* Non dubitavi igitur cum *Cl. Silligio* recipere lectionem, quam proposuit *N. Heins. in Not. ad Cat.: pulveris Africi;* est certe haec lectio plana et usui loquendi bene accommodata. — Ceterum immensum basiorum numerum Catullus supra quoque VII, 2 seqq. cum immenso siderum et arenae numero comparavit.

213. *vetus Nomen*, gentem tam veterem et nobilem.

214. *sed indidem* cett. sed decet ex eadem gente novos usque subnasci nepotes.

216 — 20. *Torquatus, volo* cett. hi quinque versiculi haberi possunt pro tabula, in qua puellus, qui teneras manus e matris gremio porrigit et semihiante labello ad patrem ridet, ab elegante quodam pictore ad vivum expressus conspicitur.

Sit suo similis patri
Manlio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore.
Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo.
Claudite ostia, virgines:
Lusimus satis. At, boni
Coniuges, bene vivite, et
Munere assiduo valentem
Exercete iuventam.

CARMEN LXII.

CARMEN NUPTIALE.

Iuvenes.

Vesper adest, Iuvenes, consurgite, Vesper Olympo

221. *similis patri*. nati similitudo cum patre tam matris castitatem quam prolis integritatem probat; et hoc est *ore patrem referre* Virg. Aen. IV, 329.

222. *insciis*. qui in conspectum puelli veniunt, quis eius pater sit, inscii, statim ex puelli lineamentis patrem agnoscunt.

226—30. *Talis — qualis* cett. Sensus: Qualis est et manet singularis illa fama optimae matris Penelopes, quae unicum ex Ulysse peperit filium, Telemachum, referentem plane ore et lineamentis patrem, tali castitatis laude bona Iulia pariat filium, patri Torquato simillimum.

231. *ostia*, sc. thalami.

234. *Munere assiduo*, assiduo coniugalis amoris fructu.

CARM. LXII.

Quibus nuptiis hoc carmen dicatum fuerit, neque ex titulo aliquo ei praefixo, neque ex ipso carmine intelligi potest. Est carmen nuptiale, et quidem alternum, sub sponsae adventu ad aedes sponsi a iuvenum et puellarum choro decantatum. — Fuerunt plures, qui hoc carmen coniunctim quidem cum praecedente scriptum, sed seiunctim, illud quidem, in quo Catullus loquitur, genti, quae nuptias celebraret, hoc iuvenum et puellarum choro, qui illud caneret, a Catullo oblatum esse statuerent. Neque ego ab eorum sententia me alienum profiteor. — Fecisse mihi videtur Catullus, quod fere fecit Horatius; hic ut *chori doctor* (χοροῦ διδάσκαλος) *tradidit* Carmen Saeculare, quod ludis Saecularibus, ille Carmen Nuptiale, quod die nuptiali Iuliae et Manlii a iuvenum virginumque choro *redderetur*. — Argumentum huius carminis est fere hoc: v. 1—5. Exorto Hespero et appropinquante

Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas;
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

P u e l l a e.

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra.
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.

pompa nuptiali aequales Manlii a mensa geniali exsiliunt et ad canendum se parant. — v. 6—10. Puellae, cum iuvenum ad canendum prosilientium alacritatem animadvertunt, haud vulgare quid eos minari indicant timentque. — v. 11 — 19. Eadem cura subit animos iuvenum, cum illi puellas meditabundas contra se in medium procedere vident. Itaque nunc missis levioribus ad severitatem, quam postulet victoria, se invicem excitant et exhortantur. — v. 20 — 25. Puellae Hespero exprobrant saevitiam, qua nunc filiam e matris sinu avulsam ardenti iuveni tradat. — v. 26 — 31. Iuvenes extollunt Hesperum ut sidus iucundissimum, cuius fausto splendore stabiliantur et confirmentur inita amorum foedera. — v. 32 — 35. Puellae Hesperum ut furem et raptorem puellarum exagitant. — v. 36 — 38. Quid tum, respondent iuvenes, si puellae simulate carpant, quem animo requirunt! — v. 39 — 48. Iam sequitur locus, quo vix ullus antiquitati debetur dulcior et venustior. — Puellae comparant sponsam cum flore, cuius in secreto horto nati nitorem et pulchritudinem omnes, qui praetereunt, summa admiratione contemplantur et appetunt, at eundem decerptum et flaccescentem nihil plane curant. — v. 49 seqq. Iuvenes exemplo a puellis proposito egregie ad rem opponunt aliud a vitibus translatum. Quemadmodum, aiunt, vitis, non maritata (h. e. non annexa) arbori alicui, humi serpit et inculta manet, ita puella, non mariti amplexibus inhaerens, magis despicitur, quam suspicitur. — Sub fine sponsa, ne diutius obluctetur iustis nuptiis, graviter monetur.

1. *Vesper* vel *Hesperus* similiter apud Virg. Georg. I, 251. *lumina accendere* et apud Claud. XIV, 1, 2. *lumina attollere* dicitur. Scilicet, ut satis notum, eadem stella *Vesper* vel *Hesperus* vel *Noctifer* vocatur, cum post solis occasum oritur, at *Lucifer* (φωςφόρος) vel *Venus*, cum ante solis ortum surgit.

3. *pingues*, ob pingues, unctas vel lautas, epulas, quae in mensis apponuntur.

4. *dicetur*. littera brevis ante *Hymenaeus* ut infr. LXIV, 20. Virgil. Aen. X, 720. et saepius alibi producitur.

5. *Hymen o Hymenaee, Hym.* cf. supr. ad Carm. LXI, 4.

7. *Nimir. Oct. ost. Noct. ign.* Vulgarem sententiam: „Scilicet Hesperus exortus est," splendide poeta exornavit sic: Nimirum *(Noctifer)* Hesperus inde ab Oetae iugo splendorem igneum ostendit. Haec loquendi ratio repetenda est ab externa specie sive opinione, qua Solem, Lunam, stellas ante vel post montes oriri aut occidere putamus. — *Oeta* sive *Oete* mons fuit Graeciae sive limes Thessaliae australis, cuius iugum ab oriente ad occidentem porrigitur. Extitisse igitur in hac regione videtur vetus quidam poeta, qui ad vulgi sermonem: „Luna vel Hesperus in Oetae iugo ortus est," sese accommodaret eumque ad Graecorum imitatores propagaret. Cf. *Heynius* ad Virg. Eclog. VIII, 30.

Sic certe: viden' ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere, canent quod visere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

I u v e n e s.

Non facilis nobis, aequales, palma parata est:
Adspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur, habent memorabile quod sit.
Nec mirum, tota penitus quae mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Iure igitur vincemur. Amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros;
Dicere iam incipient, iam respondere decebit.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

P u e l l a e.

Hespere, qui coelo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu avellere matris,

9. *Non temere.* nam qui ad rem aliquam tractandam bene praeparati accedunt, haud temeritatis vel levitatis culpam sibi contrahunt. — *canent quod visere par est.* lectionem *quod*, teste *Silligio*, tuentur plurimi vett. librr.; sed lectio *visere* ex meo sensu ferri omnino nequit; pro lectione *quod* Codicem Dresd. exhibere aiunt: *quo*, unde Vir Celeberr. *Lachmannus* eleganter hunc locum emendat sic: *quo s i d e r e par est.* Equidem, cum Catullus reclamante metro non repetere posset verbum *canere*, eum scripsisse suspicor: *quod d i c e r e par est;* et sic *dicere* (*λέγειν*) pro: canere v. 18. *D i c e r e iam incipient.*

12. *Adspicite, innuptae secum ut* cett. bene expressa est imago vel vultus eorum, qui tacite secum repetunt, quod coram aliis dicturi sint. — *meditata*, passive, mente agitata, mentis cogitata.

14. *tota pen. quae m. lab.* quippe quae (vel cum eae) totum animum intendant; scilicet, ut proferant quod memorabile sit. *Tota mente laborare* iam est: toto animo studium in aliqua re ponere. Iul. Caes. de Bell. Gallic. VII. cap. XXXI. *Nec minus, quam est pollicitus, Vercingetorix a n i m o l a b o r a b a t, ut reliquas civitates adiungeret.* Sic bene se habet hic versus, qui in Cod. Dresd. et aliis exsulat, sed a *Vossio* ex vetustissimo *Thuaneo* et aliis Librr. vett. revocatus est.

15. *Nos alio mentes, alio div. aures.* haec mentis perturbatio et aurium ad alia conversio orta videtur inde, quod iuvenes puellas ex adverso stantes limis oculis adspiciebant.

16. *Amat victoria curam*, prudentiae, diligentiae, virtutis et severitatis studium. Eurip. Phoeniss. 728. *τὸ νικᾶν ἐστὶ πᾶν εὐβουλία.*

17. *nunc saltem*, sc. in hac re gravioris momenti, a qua pendet gloria victoriae. — *animos committite vestros.* eleganter *animos committere* dicuntur, qui *commissis* h. e. coniunctis inter se animis uni eidemque rei communem operam dant.

20. 21. *Qui natam possis* cett. simillime supr. LXI, 56—59. *Tu fero iuveni in manus Floridam*

Complexu matris retinentem avellere natam,
Et iuveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

I u v e n e s.

Hespere, qui coelo lucet iucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma,
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.
Quid datur a Divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

P u e l l a e.

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam.
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

I u v e n e s.

At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

P u e l l a e.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,

ipse puellulam Matris e gremio suae Dedis.

22. *retinentem*, sc. se in matris complexu, obluctantem.

26. *Hespere, qui coelo luc. iuc. ignis?* Comparant Homer. Iliad. XXII, 318. Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ. cf. Bion. Idyll. XVI, 2.

27. *tua flamma*, flammante tuo splendore.

28. *Quod*, id scilicet, quod cett. Convenientius quidem rationi grammaticae est *quae*, ut est in vet. libr. *Memmii*, sed maiore probabilitate *quod* in *quae*, quam *quae* in *quod* mutatum videtur.

29. *ardor*, fulgor, flamma.

30. *felici hora*, felici vespere, quo sponsus sponsae solemni more iungitur.

32. *Hesperus — abstulit unam.* Hesperus igitur est fur vel raptor puellarum. Quod si suppleveris, sequentia bene huic versui respondere intelliges.

34. *saepe*, refer ad *comprendis*.

35. *eosdem*, sc. fures; sed *Schraderus in Emendatt.* p. 15. felicissime pro *eosdem* legendum esse coniecit: *Eous*, h. e. *Lucifer;* sic enim Hesperus vocatur, cum mane lucet. cf. supr. ad v. 1. — Quis autem Catullum *quos — eosdem* scripsisse autumet?

36. *At lubet* cett. Supplendo quaedam oratio mihi cohaerere videtur sic: Tu, Hespere, non es puellarum fur; *at (innuptis)* puellis lubet simulate te carpere furem.

39—41. Non nova quidem est,

Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multae optavere puellae,
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est.
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Iuvenes.

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Iam iam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolae, nulli ac coluere iuvenci,

quae sequitur, virginis pulcherrimae cum flore pulcherrimo comparatio, sed haec, nisi coecus Catulli me amor agit, similium comparationum est longe praestantissima. Cf. *Argum.* h. carm.

42. *Multi illum pueri* cett. vestigia Catulli legit Ovidius Metam. III, 353—55. de Narcisso: *Multi illum pueri, multae cupiere puellae. Sed fuit in tenera tam dura superbia forma: Nulli illum iuvenes, nullae tetigere puellae.* Virg. Aen. XI, 581. *Multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres Optavere nurum.*

45. *Sic virgo* cett. sensus huius versus ex mea sententia est hic: Eiusmodi flori est similis virgo, (*dum*) donec est nondum marita, (*dum*) donec cara et amabilis est *suis*, h. e. iis, quibuscum ei arctior necessitudo intercedit.

46. *Cum castum amisit* cett. postquam castitatis florem decerpsit mariti libido, pro vulgari: postquam virgo facta est uxor.

49. *Ut vidua in nudo* cett. vitis, quae non arboris alicuius truncum, cui illa annexa sit, amplectitur, festive dicitur *vidua.* Catullum imitatus est Horat. Od. IV, 5, 30. *Et vitem viduas ducit ad arbores.* Similiter apud eundem Od. II, 15, 4. *platanus* dicitur *caelebs.* — *nudo arvo.* ager non arboribus consitus, vel quasi non vestitus arbustis, iam dicitur *nudus.*

51. *Sed tenerum prono* cett. versus elegantissimus pro vulgari: sed ad terram deflectitur et inclinatur, quia non arboris, cui applicetur, truncum habet.

52. *Iam iam contingit* cett. inversa constructio pro: summum flagellum contingit radicem, h. e. ad radicem usque se demittit et delabitur. *Flagellum* est summa palmitis pars, quae, quia est tenuis et mollis, vel quia, ut praecedente versu dicitur, *tenerum corpus* habet, sine fulcro aliquo se tenere non potest; sarmentum, nos: *ein Rebschöfsling.*

53. *Hanc nulli agricolae* cett. Eiusmodi vitem in nudo agro nascentem et huc illuc se temere diffundentem neque agricolae neque iuvenci colere et curare solent; agricolae scilicet colunt curantque vitem, quae more solito sata et ad certum ordinem disposita sit; iuvenci vero colunt curantque vitem, dum agrum, ubi vitis seratur et disponatur, aratro

At si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi ac coluere iuvenci:
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit:
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, et minus est invisa parenti.
At tu ne pugna cum tali coniuge, virgo.
Non aequum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

CARMEN LXIII.

DE ATTINE.

Super alta vectus Attis celeri rate maria,

proscindunt, iterant, tertiant; vid. Columella de Re Rustica II, 4.

54. *ulmo — marito.* cf. supr. ad LXI, 107.

56. *Sic virgo* cett. Sensus: cum eiusmodi vite, quae negligitur nec arboris trunco alligata e terrae solo in altum educitur, comparari potest virgo, quae inculta, h. e. innupta et proinde sterilis, senescit.

57. *par connubium,* ubi inter marem et feminam magna est tam aetatis quam fortunae aequalitas; ad sententiam Deianirae apud Ovid. Heroid. Epist. IX, 32. *Si qua voles apte nubere, nube pari,* et paulo ante v. 29. *Quam male inaequales veniant ad aratra iuvenci, Tam premitur magno coniuge nupta minor.* Legendum imprimis est in hanc sententiam Callimachi Epigramma primum. — *maturo,* iusto, cum virgo (ut loquitur Virgil. Aen. VII, 53.) *plenis annis nubilis et viro matura* est.

59. *tali,* tam nobilitate quam virtutibus conspicuo.

60. *Non aequum est* cett. non decet puellam repugnantis speciem prae se ferre contra eum, cui ab ipso patre sponsa tradita est.

65. *sua iura.* parentes enim iura sua, quibus filia nondum maritata subiecta fuit, novo filiae marito cedebant.

CARM. LXIII.

Atis, vel (pro varia huius nominis scriptura) *Atys* vel *Attis* vel *Attin,* fuit (ut in pauca conferamus quae de Attine contexuerunt fabularum architecti) iuvenis formosissimus, a Cybele adamatus. Hic nave advectus cum comitibus adit nemus Phrygium, ubi, cum Cybeles sacris (quae a Phoenicibus ad Phryges migrasse videntur) se consecrasset, furore correptus (uti inter tympanorum et cymbalorum strepitum et insanos clamores furere solebant Cybeles cultores) sese evirat. Postquam somnus furorem istum compescuerat, Attin, e somno ad se rediens et quid fecisset secum reputans, praecipite cursu ad mare ruit, la-

Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,

crimat, semet ipsum damnat et, animum oculosque ad remotam dulcis patriae regionem convertens, querelas fundit miserrimas. Iam vero Catullus, dum totus est in describendo Attinis furore, ipse furore, non Cybeleio quidem, sed poetico, ad altiora et sublimiora rapitur. Haec igitur Attinis furentis descriptio, numeris insolitis et concitatioribus decantata, metro scilicet *Galliambico*, a Gallis, Cybeles sacerdotibus, qui tale cecinerint, ita dicto, haud exiguas huius carminis interpretibus et emendatoribus difficultates peperit, donec nostra aetate extiterunt duumviri, Illustrissimus *Hermannus* et Celeberrimus *Nobbius*, qui certam normam vel metrum, ad quod illud exigendum sit, proponerent et sic de hoc carmine rectius constituendo et explicando egregie mererent. Quam quidem normam scitissime et solertissime ab illis concinnatam cum in compendium redegisset Vir Clarissimus mihique tam munere quam amicitia Coniunctissimus, *Habichius*, illa huic carmini praefixa me haud levem apud huius carminis lectores gratiam initurum esse cum fiducia quadam arbitratus sum.

Versus Galliambicus constat ex duobus versibus Anacreonteis, quorum secundus catalecticus est, hac forma:

◡◡–́–́ | ◡◡–́–́ | ◡◡–́–́ | ◡◡–́

Hos primarios et veluti nativos numeros Ionicos a minore in priore hemistichio nunc versus 54. exhibet, in posteriore v. 60.

In ceteris vero huius carminis versibus ubique apparet *ἀνάκλασις*, iambicos, quos vel metri nomen requirit, numeros referens.

Puri versus *ἀνακλώμενοι*,

◡◡–◡–◡–– | ◡◡–◡–◡– v. 14 et 35.

Iidem arsium solutione variati:

◡◡– | ◡◡◡ | ◡–– | ◡◡–◡–◡⏓ v. 76 et 78.

◡◡–◡–◡–– | ◡◡–◡◡◡◡⏓ v. 83.

◡◡– | ◡◡◡ | ◡–– | ◡◡– | ◡◡◡ | ◡⏓

◡◡◡◡ | ◡– | ◡–– | ◡◡– | ◡◡◡ | ◡⏓

et contractione anacruseos:

––◡–◡–– | ◡◡–◡◡◡◡⏓

◡◡–◡–◡–– | ––◡◡◡◡⏓

––◡–◡–– | ––◡–◡⏓ v. 73.

––◡–◡–– | ––◡◡◡◡⏓ v. 86.

Dubiae vel rarae horum versuum mutandorum rationes sunt:

◡◡– | ◡◡◡ | ◡– | – || ◡◡◡̇◡ | ◡– | ◡⏓ v. 91.

◡◡– | ◡– | –– | – || ◡◡– | ◡◡◡ | ◡⏓ v. 37.

Sŭpĕr āltă vĕctŭs Āttĭs cĕlĕrī rătĕ mărĭă
Phrÿgĭūm nĕmūs cĭtātō cŭpĭdē pĕdĕ tĕtĭgĭt,
Ădĭĭtque ŏpācă sīlvīs rĕdĭmītă lŏcă Dĕæ̆.

Adiitque opaca silvis redimita loca Deae,
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi,
Devolvit illa acuta sibi pondera silice.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro,
Et iam recente terrae sola sanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve typanum,
Typanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia:
Quatiensque terga tauri teneris cava digitis
Canere haec suis adorta est tremebunda comitibus:
Agite, ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul,

1. *Super alta vectus* cett. unde per alta maria vectus in nemus Phrygium venerit Attin, qui puer Phrygius, Celaenis, urbe magnae Phrygiae, natus, dicitur, id, ut alia in Attinis fabula, obscuritate laborat. Id tantum, Cybeles sacerdotes se eviratos huius deae sacris dicasse, satis constat.

3. *silvis redimita*, cincta, coronata; similiter *silvae* loca, quae cingunt, *coronare* dicuntur. Ovid. Met. V, 388.

4. *vagus animi* eleganter dicitur, qui non sana mente se regi, sed insania huc illuc se agitari patitur.

5. *illa pondera*, illam viri partem, quam Attin sacro furore obcaecatus habebat pro pondere; et sic Attin apud Ovid. Fast. IV, 241. *onus inguinis auferre* dicitur. — *Lachmannus* pro *illa* ex coniectura dedit *ile*, sed *ile* neque in singulari poni neque de parte, qua viri sumus, dici solet. — *acuta silice*, pro acuto instrumento, quo aliquid desecatur; apud Ovid. Fast. IV, 237. Attin *acuto saxo* usus esse dicitur.

6. *sine viro*, significanter pro: sine sexus potioris parte.

7. *terrae sola*. — *terrae solum* Lucretiana locutio (V. v. 1288.) pro: terra.

8. *Niveis*, candidis, pulchris. Loquitur poeta de evirato tanquam de puella, cuius manus sunt fere candidae sive niveae. — *citata*, vehementer incitata et impulsa; *citari* dicuntur quae vehementer moventur, agitantur, concitantur; sic supr. v. 2. *pes citatus*, celeriter agitatus; infr. v. 18. *citati errores*, valde concitati, et v. 26. *citata tripudia*, saltationes, quibus vehementius agitantur corpora. Ceterum *Attin* post virilium exsectionem genere feminino effertur, ut in sequentibus. — *typanum*. littera *m* metri causa elisa est. De *tympani* forma et eius in sacris usu copiose disputat *Perizon.* ad Aelian. IX, 8. Adde peritissimum antiquitatum spectatorem *Schwarzium* in *Misc. Polit. Human.* p. 86 et 114 seqq.

9. *tub.* — non *tibias* tantum, sed etiam *tubas* celebrandis Cybeles sacris adhibitas fuisse ex hoc loco discimus. cf. *Lips. de Mil. Rom.* IV, 10. — *Cybelle*. de varia huius vocis scriptura vid. *Drakenb.* ad Sil. Ital. XVII, 8. — *tua, m., initia*, instrumenta musica, quorum cantu vel clangore sacrorum tuorum, o mater Cybele, capiuntur initia vel mysteria.

10. *terga tauri*, tympana.

11. *Canere*, non referendum est ad numerosum cantum, sed ad altam vocem vel clamorem, quo Attin secum furere iussit comites. — *tremebunda*. furor enim cum *tremore*, quo pectus et corporis membra quassantur, coniunctus est.

12. *Gallae*, pro *Galli*, quia castratis pro genere masculino tribuitur genus femininum; vid. *Voss.* ad h. l. et *Heins.* ad Ovid.

Simul ite, Dindymenae dominae vaga pecora,
Aliena quae petentes, velut exules, loca,
Sectam meam executae, duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis truculentaque pelagi,
Et corpus evirastis Veneris nimio odio.
Hilarate herae citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat; simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora Deae,
Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Maenades vi iaciunt hederigerae,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,

Heroid. IV, 48. — *simul*, coniunctim, in chorum quasi collecti.

13. *Dindymenae*, Cybeles, a *Dindymo* vel *Dindymis*, Phrygiae monte, ita dictae. — *vaga pecora*, ob *citatos errores* (v. 18.), quibus Galli pecorum ritu huc illuc ferebantur *vagi*; hinc *vaga cohors* infr. 25.

14—17. *Aliena quae pet.* cett. iunge: *quae sectam meam exsecutae* (disciplinam, cui ego praesum, secutae), *velut exsules, aliena loca petentes*, una mecum, vestro *duce*, maritimi itineris labores exantlastis et corporis partem, qua mas cognoscitur, exsecuistis. — *duce me* potest quoque referri ad praecedentia, ut intelligatur princeps disciplinae, ad quam Cybeles sacra instaurabantur. — *truculenta pelagi*, pro: truculentum pelagus, ut *angusta* vel *strata viarum*, *ardua montium*, *opaca locorum*, *lubrica vallium*, *roscida cespitis* cett.

18. *herae citatis*, in gratiam *herae* (dominae Cybeles) concitatis; de voce *citare* vid. supr. ad v. 8.

20. *Phrygiam ad domum*, ad templum vel sedem, quam Cybele habet in nemore Phrygio.

21. *cymbalûm*. cymbalorum formam imagine expressam exhibuit *Rubenius* de *Re Vestiar.* c. 17., peculiares libellos de *cymbalis* scriptos indicavit *Fabricius* in *Bibliograph. Antiqu.* p. 527. — *vox*, clangor, sonitus.

22. *canit grave*, edit graves sonos e *curvo calamo* (*tibia curva*, Tibull. II, 1, 86.). Alias *tibiae* erant rectae, sed *tibia Phrygia* dicitur *curva*, quia ad graves sonos inde eliciendos vincta fuit cornu curvo sive adunco; vide infr. ad LXIV, 264.

23. *Maenades hederigerae*, h. e. sicuti Bacchae (*Maenades*, a μαίνομαι, insanio), cum furore percitae et hedera cinctae orgia Bacchi celebrant; particula comparationis *uti*, *sicuti*, non raro omittitur; exempla Horatiana collegimus ad Epist. I, 2, 42. in Edit. Mai. — *acutis ululatibus*, vocibus acute resonantibus. Horat. Od. III, 4, 3. *Seu voce nunc mavis acuta.* Epist. ad Pis. 348. 9. *Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens, Poscentique gravem persaepe remittit acutum.* — *ululat.* *ululatus* et *ululare*, de intentis vocibus vel sonis tam misere dolentium quam effuse laetantium; et sic apud Graecos ὀλολυγμός et ὀλολύζειν. vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. Tom. I. p. 7. et *Wesseling.* ad Diodor. Sic. Tom. II. p. 90. — *agitant*, celebrant; frequentativum *agitare* exprimit intentius rei, quae agitur, studium; *agitare convivia* Terent.

Ubi suevit illa Divae volitare vaga cohors;
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul haec comitibus Attis cecinit notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul, anhelans, vaga vadit, animi egens,
Comitata tympano Attis, per opaca nemora dux,
Veluti iuvenca vitans onus indomita iugi.
Rapidae ducem sequuntur Gallae pede propero.
Itaque, ut domum Cybelles tetigere, lassulae
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labantes languore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustravit aethera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
Ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit;
Trepidantem eum recepit Dea Pasithea sinu.

Hecyr. I, 2, 18. *Dionysia* Terent. Heaut. IV, 4, 11. *dies festos* Cic. Verr. IV, 63.

25. *Divae*, Cybelae sacrata.

26. *citatis*, cf. supr. ad v. 8. — *tripudiis*, saltationibus, dum pede libero terra pulsatur. Sic *Salii* apud Liv. 1, 20. *carmina canentes cum tripudiis et solemni saltatu per urbem ivisse* dicuntur.

27. *notha mulier*, apposite de eo, qui, exsecta ea corporis parte, in qua viri natura et potestas est posita, adulteratus quasi est in mulierem.

28. *Thiasus*, chorus Gallorum, sicut chorus Thyadum sive Baccharum, saltando *ululat* (ovat) *linguis trepidantibus* (vibratis et agitatis).

31. *animi egens*, inops animi, animo deficiens. Ex corrupta lectione: *anima gens*, eleganter fecit *Lachmannus animam agens*, h. e. intercluso fere spiritu extrema patiens.

33. *Veluti iuvenca* cett. comparatur Attis cum iuvenca indomita, quae, oneri iugi ferendo pertinaciter obluctans, cursu per silvas fertur concitatissimo.

35. *domum*, templum; cf. v. 26.

36. *sine Cerere*, impransi.

37. *labantes*. eleganter dicuntur oculi *labare*, qui amplius vim somni sustinere et vincere nequeunt et deficere incipiunt.

39. *Sed ubi* cett. haec solis orientis descriptio pertinet ad veterum poetarum, tam Graecorum quam Latinorum, splendidissimas, quae passim a poetarum interpretibus congestae et inter se comparatae sunt, praecipue ad Homerum et Virgilium. — *radiantibus oculis*, accommodate ad *os aureum*. — *album*, serenum, ut *albus Notus* apud Horat. Od. I, 7, 15. *Iapyx albus* Od. III, 27, 19. *candidi Favonii* Od. III, 7, 1.

43. *Trepidantem eum*. — *Somnus* est deus alatus, qui, ut *Amor* apud Tibull. II, 2, 17., *alis trepidantibus* volat; itaque *trepidantem* vel pro: advolantem, vel simpliciter pro: festinantem, accipiendum est;

Ita de quiete molli rabida sine rabie
Simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit, sine quîs ubique foret,
Animo aestuante rursum reditum ad vada tetulit.
Ibi, maria vasta visens lacrimantibus oculis,
Patriam adlocuta voce est ita moesta miseriter:
Patria o mea creatrix! patria o mea genetrix!
Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugae
Famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,
Ut apud nivem et ferarum gelida stabula forem,
Et earum omnia adirem furibunda latibula,
Ubinam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a mea remota haec ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palaestra, stadio et gymnasiis?
Miser ah miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figurae est, ego non quod habuerim?
Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.

trepidare certe saepius est: festinare; festinatio autem mariti ad uxorem redeuntis molli amori bene convenit. — *Pasithea*, una ex tribus Gratiis, *Somni* apud Hom. Iliad. XIV, 267. uxor.

46. *Liquida*, non amplius furore confusa et perturbata, sed clara, pura, perspicace. — *sine quis*, sine illa corporis parte, qua semet ipsum privaverat. — *ubique esset*, et ubi esset; scilicet in monte, longe a patria remoto.

49. *miseriter*, ita, ut miserationem moveret; non sine miseratione moestas voces audientium.

51. *dominos*, sc. relinquere.

53. *stabula*, lustra.

56. *sibi*, desiderii sui causa, dativus commodi, ut loquuntur Grammatici, quanquam saepius *mihi*, *tibi*, *sibi*, *nobis*, *vobis*, peculiari quodam modo in omnibus paene linguis simpliciter abundant.

57. *carens est*, caret, vacat.

59. *bonis*. late patent et varii generis sunt *bona*, quae aliquis possidet. — *genit. genitores*, ut *patres* apud Ovid. Met. IV, 61., de patre et matre simul, sive de parentibus.

62. *Quod enim genus fig.* cett. Quaenam est externae fortunae forma vel species, quam ego inde a teneris non induerim?

63. *Ego puber* cett. cumulatae de pueritia et adolescentia voces egregie exprimunt ingenium hominum, rem aliquam ob animi commotionem pluribus idem fere significantibus enarrantium.

64. *Gymnasii flos*, in gymnasio pulchri floris instar prae ceteris enitens; infr. C. 2. *Flos Veronensium iuvenum.* — *olei*, palaestrae, quia in palaestra luctaturi oleo nudata corporis membra inungebant. Virg. Aen. III, 281. *Exercent patrias oleo labente palaestras Nudati socii.*

Mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Egone et Deûm ministra, et Cybeles famula ferar?
Ego Maenas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idae nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiae columinibus,
Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Iam iam dolet, quod egi, iam iamque poenitet.
Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit,
Geminas Deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi iuncta iuga resolvens Cybele leonibus,
Laevumque pecoris hostem stimulans, ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i, face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.

65. Attin se olim puerum cultum fuisse ait, sicut pulchra colitur puella, cuius amatores limina aedium, ubi illa habitat, obsident et incubando *tepida* reddunt.

66. *Mihi floridis corollis* cett. de sertis et corollis, quibus puellarum ianuae redimiri solebant ab earum amatoribus, res nota; cf. Tibull. I, 2, 14. et ibi *Heyn.*

68. *Egone*, qui antea in tanto honore et splendore fui. — *ferar?* dicar? audiam? Pro: *Egone et* malit Illustriss. *Iacobsius: e g o i a m* et *Anonymus* in *Seebodii Neu. Archiv* 3. *Jahrg.* 4. *Heft* (ubi ille plures Catulli locos docte tractavit) *e g o nunc*. Sed, nisi fallor, eodem redit *et — et*.

69. *ego mei pars?* ego, qui corporis partem perdidi, utar corpore mutilo?

70. *nive amicta loca*, pro: loca nive, tanquam albo amictu, velata.

74. Servavi quidem lectionem olim receptam *palans*, ut esset: vagus, dispersus, libere emissus, sed nunc haec lectio nec mihi probatur, nec facile placebit aliis. *Silligius* recepit *propalam*, quem vide in eius *Epist. Crit.* p. 52 — 54. *Lachmannus* bene ad rem et numeros correxit *labellis sonitus abiit celer*, sed haec correctio est nimis violenta. Est et manet dicta lectio suspecta et corrupta. Pro *palans* in mentem mihi veniebat *plorans*, quod proxime certe ad litterarum vocis *palans* ductus accedit. Sed magis fortasse probabitur emendatio *Bentleii: labellis sonitus c i t u s abiit.*

75. *nova nuntia*, de Attine, quem excusso furore rei factae poenitere coepisset.

77. *Laevumque pec. host.* leones, quibus Cybeles currus trahebatur, erant *biiuges*, Lucret. II, 600. Virg. Aen. X, 253. Intellige igitur leonem, a laeva currus parte iugo adiunctum; similiter fere *habena laeva* apud Horat. Ep. I, 15, 12., qua equus sinistrorsum flectitur.

78. *face ut* cett. fac, ut Attis hinc furoribus, imo acutissimis furoris ictibus repellatur in nemora.

80. *libere nimis*, nimis procaciter et insolenter. — *fugere imperia*, imperio meo resistere et obluctari.

Age, caede terga cauda; tua verbera patere;
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent;
Rutilam ferox torosa cervice quate iubam.
Ait haec minax Cybelle, religatque iuga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum;
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi ultima albicantis loca litoris adiit,
Teneramque vidit Attin prope marmora pelagi:
Facit impetum. Ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitae spatium famula fuit.
Dea, magna Dea, Cybelle, Dea domina Dindymi,
Procul a mea tuus sit furor omnis, hera, domo;
Alios age incitatos, alios age rabidos.

CARMEN LXIV.

EPITHALAMIUM PELEI ET THETIDOS.

Peliaco quondam prognatae vertice pinus

81. *caede terga cauda.* en *σχῆμα* leonis, terga, cum ille irascitur, cauda caedentis et verberantis. Hom. Iliad. XX, 170. *λέων ὣς,* — *Οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν Μαστίεται,* ubi plura in hanc rem exempla e poetis Latinis protulit *Clarkius.* Imprimis huc facit Lucanus, cui obversatus videtur Catullus, Phars. I, 205. *Sic cum squalentibus arvis Aestiferae Lybies viso leo cominus hoste Subsedit dubius, totam dum colligit iram; Mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae, Erexitque iubam, et vasto grave murmur hiatu Infremuit,* cett.

82. *mugienti. mugire* et *mugitus* non de vitulis tantum et bobus, sed etiam de aliis animalibus sonos mugitus similes edentibus; et sic *fremere* tam leones quam tigres dicuntur.

84. *religat,* solvit.

87. *albicantis,* scil. spuma marina.

89. *fera,* inculta, silvestria, dumosa, aspera. Sic *feri montes* apud Virg. Eclog. V, 28.

90. *famula,* ministra Cybeles sacrorum.

92. *Procul a mea — domo.* sapienter poeta hoc carmen finit furoris, qualem descripsit, deprecatione.

CARM. LXIV.

Hoc carmen ad carmina praestantissima, quae ab antiquitate ad nos propagata sunt, referendum esse, quis est qui neget? vel quis est qui hoc carmine lecto se mirifice delectatum et tacita antiquitatis reverentia perfusum esse non suavissimo gratissimoque animi sensu confiteatur? — Vetus huius carminis Inscriptio: *Argonautica,* habuisse videtur auctorem, qui se decipi passus est huius carminis initio. Rectius illud et argumento eius accommodatius nunc vulgo inscribitur: *Epithalamium,* non quidem strictiore, sed sensu latiore. — Catullus, ut ostenderet se non tantum poetam esse, cuius ingenium in rebus iocosis, ludicris et levioribus exsultet et lasciviat, sed etiam vim sibi inesse et spiritum, quo levatus ad altiora et

Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus et fines Aeetaeos,

sublimiora extolli possit, circumspexit argumentum, in quo tractando exprimeret eas doctrinae copias, eam divini ingenii ubertatem, ne multa! eas virtutes, in quibus cernitur epici poetae praestantia. Iam vero cum carmina epica sororio quasi vinculo coniuncta sint cum fabulis, opportune et solerter insertis, suaviter expositis et argumento apte accommodatis, Catullus delegit sibi *Pelei* et *Thetidis* nuptias sublimiore carmine celebrandas, ut inde digrederetur et excurreret ad ea, in quibus poeta ad grandiora natus vires suas periclitari posset. Catullus igitur, postquam in huius carminis limine narravit, quomodo Thetis, cum heroes illi Graeci, quorum unus fuit Peleus, Argo praetervcherentur, capite e mari exserto Pelei amore exarserit, humanos hymenaeos, licet dea, haud despexerit, et ipse pater Thetidis cum Peleo nuptias confirmaverit, totum harum nuptiarum apparatum et magnificentiam describit, et inter alia mentionem facit vestis stragulae, h. e. peristromatis sive peripetasmatis, quo insigniter acu picto et mira arte priscorum hominum figuris distincto lectus genialis obtectus et decoratus erat. Ab alia parte in veste illa stragula conspicitur Ariadne, quae saxeae bacchantis effigiei similis oculos in perfidi Thesei fuga defixos habet; ab alia vestis stragulae parte apparet Bacchus, cum thiaso et pompa Bacchica ad desertam Ariadnen, cuius amore accenditur, advolans. — Ipse igitur Catullus aperuit sibi fontes, e quibus rigaret suas areolas. Idem, cui, ut cum Horatio loquar, *Parca non mendax Graiae Camenae spiritum dedit*, tanta arte attexuit mythum Parcarum, tam fata hominum nentium, quam veridico cantu ea edentium, ut haud sciam, an quidquam hac Parcarum descriptione inveniri possit suavius, dulcius et elegantius. — Ceterum, cum cardo quasi totius huius carminis in *Pelei* et *Thetidis* nuptiarum celebratarum narratione vertatur, cur ei Inscriptio *Carmen Nuptiale* non bene conveniat, equidem non video. Qui Inscriptionem *Epithalamium* repudiant, urgent propriam huius vocis significationem, quia ita dicitur carmen, quod virgines sponsam in thalamum deducentes canere solebant. Sed, ut iam monui, latiore quoque sensu locum habere potest Inscriptio: *Epithalamium*. — Denique Catullum, quem tota Sapphus et Callimachi carmina Latine reddidisse scimus, in hoc quoque carmine ad Graecorum poetarum exempla imitandi studium direxisse non fugiet eos, qui in scriptorum Graecorum castris collocarunt tabernaculum.

1. *Peliaco quondam* cett. expende verborum splendorem et ornatum expressae sententiae: Tempore illo, quo delecti et fortes in Graecia iuvenes ad vellus aureum Colchis avertendum ausi sunt navem conscendere, quam ipsa Minerva e ligno pineo a se constructam illis dederat, conspecta illa navis in mari cursum ad fluvium Phasidem et fines Aeetaeos (*Colchidem*) direxisse dicitur. — *Peliac. vert.* mons Thessaliae Pelion fuit pinifer, unde lignum pineum ad construendas naves petebatur.— *prognatae*, quasi arbores per prolem propagarentur. Hinc arbores *matrum filiarumve* nomine audiunt; cf. supr. ad IV, 15. et ad Horat. Od. I, 14, 11.

3. *Phasid. ad* cett. eo, ubi fluit Phasis et ubi regnat Aeetes; designatur Colchis, uti saepe a poetis terrae regiones per fluvios, a quibus alluuntur, et per eos, qui illis imperant, designari solent.

Cum lecti iuvenes, Argivae robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis,
Diva quibus, retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simulac rostro ventosum proscidit aequor,
Tortaque remigio spumis incanduit unda,
Emersere feri candenti e gurgite vultus

4. *lecti iuvenes*, Theocrit. Idyll. XIII, 18. *Πασᾶν ἐκ πολίων προλελεγμένοι.* — *Argivae robora pubis*, flos Graecae iuventutis, virium robore virentis, *θεῖος ἄωτος Ἡρώων* apud Theocr. l. l. v. 27.

5. *Aurat. pellem.* de aureo arietis, quo Phryxus vectus est Colchos, vellere (*χρυσομάλλῳ δέρει*) vid. Hygin. Fab. 3. edit. *Stav.* — *avertere*, non simpliciter pro: auferre, sed de rebus, quae vi vel dolo et fraude auferuntur. vid. *Gronov. Observ.* IV, 5. Similem fere significationem habet verbum *amovere*.

6. 7. *vad. sals. dec. p. verrentes* cett. quam pulchre et exquisite! pro vulgari: ausi sunt navem conscendere et remorum ope vel impulsu trans mare volare; mare quasi *verritur*, dum eius superficies (*palmis*) remis stringitur et percutitur. Virgil. Aen. III, 207. *nautae Adnixi torquent spumas et caerula verrunt.*

8. *retinens*, tenens, obtinens, tuens, *in summ. urb. arces*; hinc Graecis Minerva dicta est *πολιοῦχος*.

9. *Ipsa*, sc. Minerva, quae praeest artibus, nominatim texturis, et, ut ex hoc loco discimus, contexendis quoque navibus, unde v. seq. *Pinea texta.* — *currum*, vehiculum, quo vecti nautae per mare currunt, h. e. navem. vid. *Mureti Var. Lect.* I, 11. Observa in hoc versu elegantem et numerosam verborum structuram.

10. *Pinea coniungens* cett. egregie et scite ad rem fabrilem pro: (*coniungens*) inserens et superimponens (*inflexae*) curvae carinae (*pinea texta*) trabes e ligno pineo affabre contextas. — Haec navis sive Argo apud Apollon. Rhod. I, 551. vocatur *ἔργον Ἀθηναίης Ἰτωνίδος.*

11. *Illa rudem* cett. *illa* navis *prima* (primum ut nova arte constructa navis) *rudem Amphitriten* (mare, quod nondum expertum erat navem remigio se promoventem) *cursu imbuit* (cursu suo initiavit), eleganter pro vulgari: illa navis primum tentavit navigationem. Simillime apud Valer. Flacc. I, 69. *Ignaras* (rudes, nondum arationem expertas) *terras vomere imbuere* (primum arationem tentare).

12. *rostro proscidit aequor*, prora, tanquam aratro, maris fluctus discidit et dirupit; hinc *mare arare* pro: navigare. Virgil. Aen. II, 780. Ovid. Trist. I, 2, 76.

13. *Tortaque* cett. venusta oratio pro: aqua marina remigio agitata spumae candore obducta est.

14. 15. *feri vultus.* hae voces duplice modo accipi possunt, vel in nominativo plur., ut per *feros vultus* intelligantur capita, in quorum ore expressus fuit ferus quidam et minax stupor, ut appositio sit: *Nereides*; scilicet nymphae nutricum tenus (v. 18.) e gurgite exstabant; vel in genitivo, ut sint: *Nereides feri vultus*,

Aequoreae monstrum Nereides admirantes;
Illaque haudque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.
O nimis optato seclorum tempore nati
Heroes, salvete, Deûm genus! o bona mater!
Vos ego saepe meo vos carmine compellabo;
Teque adeo, eximie taedis felicibus aucte,
Thessaliae columen Peleu, quoi Iupiter ipse,
Ipse suos Divûm genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quae simul optatae finito tempore luces

austerum, torvum, ferum, minacem vel plenum stuporis vultum prae se ferentes. Horat. Epist. I, 19, 12. *Si quis vultu torvo ferus.* — *monstrum.* sic vocatur *Argo*, quia tale quid nondum in mari a Nymphis conspectum fuerat; *monstra* dicuntur res, quae plane naturae repugnant, vel novae plane et inauditae sunt.

16. *Illaque haudque alia luce*, hoc uno tantum die, non alio postea.

18. *Nutricum tenus*, usque ad mammas, quae sunt infantium nutrices.

20 *humanos hymenaeos*, nuptias non cum deo sed cum homine ineundas.

21. *pater ipse*, Nereus. — *sensit*, sensu suo et iudicio probavit.

22. *nimis*, et *nimium* passim pro: admodum, valde (λίαν). Plaut. Rud. IV, 2, 15. *Nimis id genus ego odi male.* Terent. Eun. IV, 7, 16. *Fundam tibi nunc vellem nimis dari, ut tu illos procul caederes;* plura exempla dabit *Forcellinus.*

23. Appellat unam tantum felicissimarum illarum matrum, quibus heroes peperisse contigit, vocatque eam non sine vi quadam simpliciter bonam. Virg. Aen. I, 734. *Adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno.*

25. *aucte*, ornate, ut *honore augeri.*

26. *columen*, columna, qua tanquam firmo fulcro vel fundamento innititur aedificium, regnum, respublica, familia cett. (βάθρον, ἔρεισμα), pro vulgari: praesidium.

27. *conc.* pater *iugavit* (v. 21.), Iupiter *concessit amores*, Thetidem, quam amabat Iupiter.

28. *tenuit*, amore te cepit et captum in complexu suo tenuit. — *Neptunine*, Neptuni alumna.

29. *neptem.* Thetis fuit filia Doridis, *Tethys* vero, Thetidis avia, uxor Oceani.

30. *Oceanus, mari tot. qui* cett. hinc Horatio dicitur Oceanus Epod. XVI, 41. *circumvagus.*

31. *Quae* quidem *optatae luces*, quibus celebrarentur Thetidis cum Peleo nuptiae, *simul* (simulac) *finito* (constituto) *tempore Advenere* (illuxerunt).

Advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia; oppletur laetanti regia coetu;
Dona ferunt; prae se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros; linquunt Phthiotica Tempe,
Cranonisque domos ac moenia Larissaea:
Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo; mollescunt colla iuvencis;
Non humilis curvis purgatur vinea rastris;
Non glebam prono convellit vomere taurus;
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram;
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento.

34. *Dona ferunt*, sc. convivae Thessalici. — *prae se decl. gaud. vultu.* frons exporrecta palam facit hilaritatis sensus.

34. *Scyros* cett. poeta, ut ostendat homines undique ex diversis et remotioribus quoque Thessaliae locis ad Pelei et Thetidis nuptias confluxisse, plura eorum recenset. — *Scyros.* de hac insula maris Aegaei, a Dolopibus olim, Thessalorum gente, culta, vid. Diodor. Sic. XI, 60. et ibi *Wesseling.* — *Phthiotica Tempe. Tempe*, regio, in Thessaliae valle amoenissima, ubi Peneus amnis labitur, Olympo, Ossa et Pelio montibus praecincta, non proprie dici possunt a remotiore regione *Phthiotica*, sed ita, ut puto, ad regionis amoenitatem designandam dicuntur. Similiter apud Virg. Georg. II, 469. *frigida Tempe*, non de umbrosa illa et amoena Thessaliae valle, sed de quavis loci amoenitate. — *Cranonis.* scribendum *Crannonis*, ut docet Celeberrimus *Meinckius* ad Theocr. XVI, 38. *Crannon*, oppidum Thessaliae. Plin. H. N. X, 12. s. 15. — *Larissa* pariter Thessaliae oppidum; hinc *Achilles Larissaeus* h. e. Thessalus.

38—42. *Rur. col. nem.* cett. versus suavissimi de iucundo illo otio, quo diebus festis rusticus gravioribus laboribus fessus cum tota familia requiescit et cuticulam suam curat. — *colla*, sc. dura cute vel callo obducta.

39. *humilis vinea.* nisi enim vinea palatur et herbis inutilibus per rostrum purgatur, natura sua humi serpit, vel, ut Catullus supr. LXII, 50. 51. loquitur, *Nunquam se extollit, — Sed tenerum prono deflectit pondere corpus.*

41. *Non falx* cett. *Falx* est instrumentum vel ferramentum incurvum, quo vel arborum ramuli a frondatoribus desecantur, vel fruges demetuntur, vel flores in hortis ad certam formam, qua exsurgere debent, finguntur vel etiam carpuntur. Elegantiam huius versus, uti sequentis et plurimorum huius carminis, lectores, puto, percipient vel non moniti.

43. *Ipsius*, nuptiarum, ut ita dicam, patris Pelei. — *quacunque opul. rec. reg.* eleganter pro vulgari: quantum quantum patebat opulenta regia; ad interiores usque regiae recessus. *Recedere* dicuntur res, quae conspectui se subducunt. Sic apud Virg. Aen. II, 300. *domus Anchisae* non in aperto loco sita eleganter *secreta et arboribus obtecta recessisse* dicitur. Stat. Theb. V, 242. *etsi lata recessit Urbe domus.*

Candet ebur soliis; collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero Divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylì purpura fuco.
Haec vestis, priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam sese, quae visit, visere credit;

45. *Candet ebur soliis* cett. solia candent ebore, mensae collucent poculis. *Solium*, sella regalis, vel sella amplior ad formam hemicyclii. — *ebur*. de usu eboris, quo apud veteres affabre distingui et ornari solebat supellex pretiosior, disputavit *Heyn*. in *Nov. Comment. Soc. Gotting*. T. I. n. 96 seqq.

47. *Pulvinar geniale* vel *lectus genialis*, qui die nuptiali sponso sponsaeque in honorem *Genii* et *Iunonis* sternitur; vid. *Lips. Elect.* I, 16. *Brisson. de Rit. Nupt.* p. 104—48.

48. *politum*, eleganter pro: constructum, fabricatum; notio enim simul inest nitoris, quo *(Indus dens)* ebur politum splendet. — *purpura*, peristroma purpureum. — *tincta roseo fuco. fucus* (φῦκος), herba marina, cuius succo lana ad purpuram excipiendam et concipiendam praeparatur; cf. quae in hanc rem notavimus ad locum Horat. Od. III, 5, 27. *Neque amissos colores Lana refert medicata fuco.* — *conch. conchylium*, concharum genus, e cuius sanie vel liquore color purpureus eliciebatur.

50. *Haec vestis*, sc. stragula. — *prisc. hom. var. figuris*. haec vestis, cui variae hominum priscorum figurae mira arte intextae fuerunt, res praeclare ab heroibus gestas repraesentat *(indicat)* et conspiciendas offert.

52 seqq. Iam in veste stragula, tanquam in picta tabula, conspicimus Ariadnen, eo animi statu et corporis habitu expressam, quo illa Theseum, perfide a se in insula Naxo deserta fugientem, e littore prospicit, et mente oculisque defixa in eius fuga haeret stupetque. — *Diae*. Diodor. Sicul. IV, 16. *καὶ κατῆρεν εἰς νῆσον τὴν ποτὲ μὲν Δῖαν, νῦν δὲ Νάξον προσαγορευομένην.* Copiose de insula Naxo egit *Choiseul-Gouffier, Voyage pittoresque de la Grèce.*

54. *indomitos furores*, intellige tumultum animi, cui domando vel compescendo Ariadne impar erat.

55. *Necdum etiam sese* cett. pro vulgari: necdum credit suis oculis. — *visere* non raro pro: videre vel cernere aliquid oculis. Liv. I, 31. *missis ad id visendum prodigium.* Virg. Aen. II, 63. *Undique visendi studio Troiana iuventus Circumfusa ruit.* — Ceterum in hoc versu tanta proposita est lectionum diversitas, ut iam plures, qui iis comportandis et diiudicandis operam darent, exstiterint. Clarissimus *Silligius* hunc versum e coniectura, quam recipere non dubitavit, ita incedere iussit: *Necdum etiam sese, quae fuit, tum credidit esse;* sed reclamante metro; certe metri causa pro *fuit* Enniano more scribi debebat: *fu't*, quamquam praeter omnem consuetudinem.

Utpote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at iuvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosae linquens promissa procellae:
Quem procul ex alga moestis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, prospicit, evoe,
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas;
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitrae, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas

58. *Immemor*, sc. Ariadnes, vel promissorum.

59. *Irrita ventosae* cett. cf. supr. ad XXX, 10.

60. *ex alga*, e littore algoso.

61. *Saxea ut effigies* cett. Ariadnes cum bacchante comparatio est profecto significantissima et praesenti furentis Ariadnes statui accommodatissima. Per *saxeam* enim *effigiem* non simpliciter tantum exprimitur immutabilis plane et in unum locum conversus Ariadnes vultus unice in Thesei navem coniectus, sed etiam stupor et insanus furor, qui Bacchas rapit quatitque. — Ceterum σχῆμα Ariadnes, inter furores, Thesei perfidia eius pectori iniectos, e litore prospicientis et uno eodemque obtutu Thesei navi inhaerentis, materiem, in qua artem suam ostenderent veteres artifices, suppeditavit aptissimam.

62. *magnis cur. fl. und.* exquisite pro vulgari: magnis curis huc illuc agitatur; *curae*, quae agitantur in pectore, apposite comparantur cum aquarum vel fluctuum agitatione; sic apud Horat. Epist. I, 1, 16. *undis civilibus mersari*, pro: curis civilibus obrui et deprimi, et Epist. I, 2, 22. *adversis rerum immersabilis undis* de eo, qui adversarum rerum curis se non deprimi patitur; Val. Flacc. Lib. V, 303. *mens rapit undantem curis et multa novantem* Aesoniden. Cf. *Drakenb.* ad Sil. Ital. IX, 527.

63. *mitram*, fasciam, qua caput redimebatur.

65. *stroph. strophium* (ταινία, ταινίδιον) est sinus virginalis tegumentum.

67. *fluctus sal. allud.* fluctus marini iam omnia e corpore Ariadnes delapsa ante ipsius pedes *alludere*, advehere, eiicere dicuntur, quae alludendo secum traxerant.

71. *quam externavit*, cui mentem eripuit.

72. *Erycina.* ita Venus a templo, quod ei in Siciliae monte vel oppido *Eryce* sacrum fuit. — *curae* dicuntur *spinosae*, quia, sicut spinae, animum pungunt et lacerant. Cf. Horat. Epist. I, 14, 4. et Epist. II, 2, 212.

Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus,
Egressus curvis e litoribus Piraei,
Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exsolvere caedis
Electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quîs angusta malis cum moenia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proiicere optavit potius, quam talia Cretam

73. *Illa tempestate, quo tempore*, abundantius loquendi genus pro: *Illo tempore, quo.*

74. *Piraei*, notissimi illius portus Atheniensis.

75. *Minos*, Iovis et Europae filius, rex Cretae, vir tantae virtutis et iustitiae, ut eum post mortem cum Rhadamantho fratre et Aeaco iudicis apud Inferos munus administrasse finxerit antiquitas, iam propter dirum illud puerorum puellarumque tributum, ab Atheniensibus quotannis exactum, vocatur *iniustus.* — *Gortynia tecta*, Cretam, cuius insulae urbs mediterranea fuit *Gortyne* vel *Gortyna.*

76—79. *Nam perhibent* cett. Sensus: Nam tradunt *(Cecropiam)* Cecropides sive Athenienses crudeli peste coactos esse, ut ad Androgei caedem expiandam electos pueros puellasque in insulam Cretam, quos ibi tanquam sacrum epulum devoraret Minotaurus, quotannis mitterent. — *crudeli peste coactam Cecropiam* cett. *Androgeus*, Minois et Pasiphaes filius, cum tam multis victoriis, quas in publicis Graeciae ludis reportaverat, quam aliis virtutis speciminibus insignem gloriam consecutus esset, insidias eius vitae struxerunt, qui ab eius fortitudine sibi timere coeperant. Itaque vel ab Atheniensibus et Megarensibus, vel ab Aegeo insidiose occisus ille esse dicitur. Vide quae in hanc rem observavit *Vir Eruditissimus* et mihi *Amicissimus Iacobi* in praeclaro libello: *Handwörterbuch der griechischen und römischen Mythologie* sub voce *Androgeus* p. 97. Ad hanc caedem ulciscendam cum Minos pater profectus esset contra Athenienses, eum illos belli, quod pestis adeo secuta sit, calamitate ita pressisse ferunt, ut Athenienses de his malis a se avertendis oraculum consulerent; oraculum respondisse tum demum his malis liberatum iri Athenienses, si culpam caedis rite expiassent; inde factum esse, ut Athenienses se postulatum septem iuvenum et septem puellarum tributum quotannis Cretam missuros esse fidem facerent. Diod. Sicul. IV, 60. Apollodor. III, 15. Ovid. Met. VII, 456. et VIII, 153.

79. *Minotauro*, cuius superiori corporis parti forma tauri, inferiori forma hominis vulgo tribuitur. Hinc Ovidius de Art. Am. II, 23. iocose Minotaurum vocat *Semibovemque virum semivirumque bovem.*

80. Sunt qui pro *angusta* malint *augusta*, sed profecto Athenarum moenia in praesente rerum statu, ubi bellum, fames, pestis in urbe saeviebant, non erant *augusta*, sed in *rebus angustis* trepidantia.

82. *Proiicere*, tanquam rem vilem et nullius pretii. Fuit igitur Theseus, ut *Paullus* apud Horat. Od. I, 12, 37. *animae magnae prodigus*, vel ut *Euryalus* apud Virg. Aen. IX, 205., in quo spirabat *ani-*

Funera Cecropiae ne funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves exspirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotae progignunt flumina myrtos,
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.
Heu! misere exagitans immiti corde furores,
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum,
Qualibus incensam iactastis mente puellam

mus lucis contemtor. — *optavit potius* pro: maluit.

83. *ne* pro: non; apud Plaut. Trinumm. II, 2, 85. *ne vult.* Sed acute hunc locum emendat *Vir Egregius* et ante diem Scholae Portensi (cui ut almae matri meae deus faveat) ereptus *Langius* sic: *Funera Cecropiae sine funere portarentur.* Nec abludit ab hac emendatione Manilius V, 548. *Virginis et vivae rapitur sine funere funus.*

84. *nitens*, remigans; remiges enim remis insurgunt, incubant et innituntur.

85. Minos, quem supra poeta v. 75. respectu imperati tributi habito vocavit *iniustum*, nunc, qui vere erat, dicitur *magnanimus*, h. e. magno et forti animo ad res gerendas instructus paratusque.

88. *alebat*, elegantius pro: tenebat, fovebat; ubi bene nos habemus, ibi *ali* dicimur.

89. *Eurotae*, fluvii Peloponnesi, qui ortus in Arcadia per Laconiam volvitur. — *myrtos.* cf. supr. LXI, 22.

90. *distinctos colores*, eleganter pro: flores variis coloribus distinctos.

94. 95. *Heu! misere* cett. heu sancte puer, qui immiti corde miserum in modum amoris furores excitas, saevire iubes in pectoribus. Sic recte *exagitare* accipi et explicari potest. Cic. Ep. ad Attic. III, 7. *Non faciam, ut enumerem miserias omnes, ne meum moerorem exagitem*, h. e. commoveam, pectus meum lacerare iubeam. Stat. Theb. V, 96. *rabidis clamoribus urbem Exagitat.*

95. *Sancte puer.* si cui mirum videatur, quod Cupido, qui modo *immiti corde* amoris furores in animis hominum concitare dictus est, venerabili simul *Sancti* nomine honoretur, is videat, an fortasse Catullus pro *Sancte* scripserit *Saeve*; talis est Cupido, et sic alibi (non *sanctus*) vocatur, e. c. apud Ovid. Amor. I, 1, 5. *Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina iuris.* — *curis hom. q. gaud. misc.* similiter Venus infr. LXVIII, 18. *Quae dulcem curis miscet amaritiem.* Exempla in hanc sententiam collecta vid. apud *Barth.* ad Claud. de Nupt. Honor. et Mar. v. 70. et *Dorvill.* ad Charit. p. 426. ed. Lips.

96. *Quaeque regis Golgos*, et tu, o Venus. *Golg.* cf. supr. XXXVI, 14. — *Idal.* ibidem v. 12.

Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum saepe magis fulgore expalluit auri!
Cum, saevum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut praemia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti corpore pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens:
Sic domito saevum prostravit corpore Theseus
Nequidquam vanis iactantem cornua ventis.

98. *Fluctibus*, sc. curarum; cf. supr. ad v. 62. — *in flavo s. hosp. suspirantem.* Ovid. Fast. I, 417. *Hanc cupit, hanc optat, sola suspirat in illa.* — *flavo*, a flavis crinibus, ad corporis pulchritudinem relatis, pro: pulchro. Sic ξανθὸς Ἀχιλλεύς.

100. *mag. fulg. expall. aur.* ora eius occupavit color auro pallidior. Veteres auro tribuunt colorem *pallidum*, infr. LXXXI, 4. *Hospes inaurata pallidior statua;* Graeci χλωρόν; vid. *Hemsterh.* ad Lucian. I, p. 503. 4.

102. *praemia laudis*, supple: reportaret; *oppetere* priori tantum nomini accommodatum est.

103. 104. *Non ingrata* cett. Observa insignem orationis venustatem. *Ariadne tacito suspendit vota labello* (vota, quae nuncupat, intra labellum premit, h. e. tacite secum agitat), *promittens* (dum promittit) *munuscula non ingrata diis, frustra tamen,* quia frustra Thesei in amore fidem speraverat. Scilicet pars tantum votorum, ad Minotaurum feliciter prosternendum spectantium, expleta est; *nam velut* cett.

105—111. *Nam velut* cett. nam sicuti vehementior venti impetus quercum in summo alti montis alicuius cacumine huc illuc agitatam, aut pinum resina, quam eius truncus exsudat, diffluentem, indomito turbine correptam eruit, illa autem (quercus vel pinus) radicitus exstirpata, dum quaevis obvia simul confringit, praeceps deiicitur: ita Theseus Minotaurum, frustra in altum iactantem cornua, perdomuit atque prostravit. — Hanc comparationem significantissimam inde ab Homero Iliad. IV, 482. plures poetae tractarunt; Horat. Od. IV, 6, 10. Virgil. Aen. II, 626., ubi plura alia exempla congessit *Cerda.* — *brachia*, ut saepe, de arborum ramis.— *Tauro*, monte celsissimo, per Asiam porrecto. — *corpore*, exquisite pro: *trunco*, ob adiectum *sudans.*

107. *robur*, de durioris ligni arboribus, nominatim de quercu. Virg. Georg. III, 332. *Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus Ingentes tendat ramos.*

109. *lateque*, et eminus et *cominus.* — *obvia*, quae arboris casui obstant.

110. *saevum*, sc. monstrum, Minotaurum. Sic simpliciter saepe *ferus* de saeva aliqua bestia; de leone apud Phaedr. I, 21, 8., de apro Ovid. Metam. VIII, 400.

111. *Nequidq. vanis iact. c. ventis. cornua vanis ventis nequidq.*

Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego, a primo digressus carmine, plura
Commemorem, ut linquens genitoris filia vultum,
Ut consanguineae complexum, ut denique matris,
Quae misera in gnata deperdita, laeta . . . .
Omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diae?
Aut ut eam tristi devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore coniux?
Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus;
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatae tollentem tegmina surae;
Atque haec extremis moestam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem:

iactare est: cornua sine omni effectu in altum iactare; expressit fere hanc sententiam vetus poeta apud Ciceronem in Epist. ad Attic. VIII, 5. ῥῖψαι πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα. Eandem Virg. Georg. III, 233. hac orationis elegantia extulit: *ventos lacessere ictibus.*

112. *Inde*, ex Labyrintho, ubi stabulabatur Minotaurus.

113. *filo*, ab Ariadne accepto, quo Thesei ex Labyrinthi anfractibus regredientis via regeretur.

116—120. *Sed quid ego* cett. Vix in medium proferri possunt omnia, quibus huic loco corrupto succurrere tentarunt virorum doctorum studia. Non de sensu huius loci laboramus, sed displicet orationis color et verborum series atque iunctura. Huc accedit, quod in versu 119. nescimus, cuius culpa vox quaedam deperdita est. Expressa sententia redit fere eo: Sed quid ego a prima rei narratione digressus commemorem, quomodo filia a patris adspectu vel latere recesserit; quomodo sororis, quomodo denique matris, vehementer de filiae fuga afflictae, complexibus laeto animo dulcem Thesei amorem praetulerit. — Male affectum versum 119. equidem correxerim sic: *Quae miseram gnatam deflevit perdita, laeta*, laeto hilarique animo. Sunt qui pro *praeoptarit* malint: *praeoptavit*, sed recte quoque se habet coniunctivus.

121. *Diae?* cf. supr. ad v. 52.

123. *coniux*, non vulgaris quidam amator, sed ipse coniux Theseus.

126. *conscendere*. praesens excipit perfectum, ut usu venire solet apud optimos quosque scriptores. vid. *Drakenb.* ad Liv. III, 46.

128—131. *Tum conspice* eam *tollentem* — *atque* eandem *cientem ore singultus* cogita *haec dixisse.*

Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Siccine discedens, neglecto numine Divûm,
Immemor ah! devota domum periuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce; mihi non hoc miserae sperare iubebas,
Sed connubia laeta, sed optatos hymenaeos,
Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti.
Iam iam nulla viro iuranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles,
Qui, dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt;
Sed simulac cupidae mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque

134. *neglecto numine Divûm*, dum nihil curabas deos, perfidiae vindices; *negligere deos* dicuntur deorum contemtores, homines impii, perfidi. Horat. Od. III, 2, 30. *Diespiter neglectus*, et Od. III, 6, 7. *Di neglecti.*

135. *devota*, sc. diis poenam ab hominibus periuris exigentibus.

137. *clementia*, miseratio.

138. *vellet mitescere*, mitiorem sensum admitteret vel cieret.

140. *Voce*, cum mihi praesens adesses et (*voce*) disertis verbis amorem tuum mihi patefaceres. — *mihi — iubebas.* hic locus pertinet ad rara illa exempla, ubi ab aureae aetatis scriptoribus verbo *iubere* dativus iungitur. Vide quae de hac insolentia disputant *Perizon.* ad Sanct. Min. II, 4. *Burmannus* ad Ovid. Met. VIII, 752. *Gronov.*, *Duk.* et *Drakenb.* ad Liv. XXVII, 24. — *sperare* (*ἐλπίζειν*), exspectare, extimescere.

142. *Quae cuncta aerii* cett. cf. supr. XXX, 10.

143. *nulla vir. iur. fem. cred.* suavissima in hanc sententiam est *Lotichii Elegia* V, 19.

148. *metuere*, metuere solent. — *nihil periuria curant.* hinc Tibull. III, 6, 39—41. *Gnosia, Theseae quondam periuria linguae Flevisti ignoto sola relicta mari. Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus, Ingrati referens impia facta viri.*

149. *in medio turbine leti*, pro vulgari: in medio mortis discrimine; *turbo* graviter exprimit vim et impetum, quo mors invadit vivos et secum aufert.

150. *germanum*, fratrem, Minotaurum. — *crevi*, decrevi, constitui. Cic. de Leg. III, 3. *si senatus creverit.*

Praeda, neque iniecta tumulabor mortua terra.
Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla vorax, quae vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis,
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris,
Externata malo? quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt nec reddere voces.
Ille autem prope iam mediis versatur in undis,

153. *neque iniecta tum. mort. terra.* haec vel maxime Ariadnes animum lacerare debebat cogitatio, iniecta scilicet ex veterum opinione, qua manes inhumatorum centum annos circa Stygem vel circa corpus inhumati errare putabantur. Hinc e. c. Archytae Umbra apud Horat. Od. I, 28, 23 cett. nautam aliquem, qui corpus Archytae post naufragium ad litus eiectum praetervehebatur, mollibus precibus rogat sic: *At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae Ossibus et capiti inhumato Particulam dare;* ubi de hac veterum superstitione plura vide apud interpretes. Hic totus locus obversatus videtur auctori Ciris 441—7. Cf. Amicissimi *Mitscherlichii* Lectiones in Catull. p. 107.

154—156. Hominis, qui fidem sanctissime datam turpissime fefellit, cum saevarum bestiarum prole vel cum diro maris fetu comparatio passim apud alios quoque poetas obvia. — *leaena.* Tibull. III, 4, 90. *Nec te conceptam saeva leaena tulit.* Cf. supr. LX, 1. — *Quod mare* cett. Tibull. I. I. v. 85. *Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti.* Hom. Iliad. XVI, 34. *γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα.* Similiter Dido apud Virgil. Aen. IV, 365 seqq. acerbissime insurgit contra Aeneam. Plura in hanc rem exempla vide apud *Interpretes* ad locos laudatos. — *Scylla,* cf. supr. ad LX, 2.

157. *vita dulci*, qua nihil homini est dulcius; hinc intimi amici, in quorum usu summa ponitur felicitas, *ipsa vita dulciores* dici solent.

159. *prisci*, severi, austeri, priscae aetatis moribus se regi patientis. Sic *priscus Cato* apud Horat. Od. III, 21, 11. cf. Hor. Epist. II, 2, 117. Cic. pro Coel. c. 14. *utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse ac leniter et urbane.*

162. *vestigia*, pedes. Hor. Sat. II, 6, 102. *cum ponit uterque* (mus rusticus et urbanus) *In locuplete domo vestigia.*

163. *Purpurea veste* (stragula). Hor. Sat. II, 6, 102. 3. *rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos;* et paulo post v. 106. *Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit Agrestem.*

164. *ignaris.* additur explicatio v. seq. *quae nullis sensibus auctae* (praeditae) *Nec missas* cett.

Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Iupiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes;
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem;
Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? at gurgite lato
Discernens ponti truculentum dividit aequor.
An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui,
Respersum iuvenem fraterna caede secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?

171. *tempore primo*, quo primum oculis meis oblatus est Theseus.

172. *Gnosia*, Cretensia. — *Cecropiae*, Athenienses.

173. *dira stipendia ferens*, offerens horribile illud tributum Minotauro, scilicet (supr. 77.) *Electos iuvenes simul et decus innuptarum.* — *stipendium*, vectigal, quod solvere tenentur victi victoribus; vide quae de hac voce observavimus ad Hor. Od. IV, 8, 17.

175. *dulci forma*, blanda, quam prae se ferebat, specie; molles scilicet sensus vultus ostendebat, duros pectus tegebat.

176. *nec in nostris requiesset sed. hosp.* nec in aedibus nostris locum requiescendi et hospitii benignitate fruendi invenisset.

178. *Idomeniosne*. huic voci varia forma in variis lectionibus induitur; ego secutus sum lectionem *Vossii*, qui *Idomenios montes* accipit de regione, ubi ab Idomeneo, Cretensium duce, conditum fuerit oppidum *Idomene;* fuisse autem docet *Vossius* duas *Idomenas*, alteram Ambraciae proximam, in duobus excelsis collibus positam, alteram prope fines Thraciae, sitam in montibus Bottiaeis. Ceterum metrum postulat, ut *Idomenios* quatuor syllabis pronuntietur. — *at gurgite lato* cett. exquisita elegantia pro vulgari: At mare lato gurgite interfluens me cohibet ab illo montium aditu vel adscensu.

179. *aequor ponti*, plenius (ut *solum terrae*) pro: mare; respicitur autem ex *Vossii* sententia ea maris Aegaei pars, quae interiacet Macedoniam et Diam insulam, ubi versabatur Ariadne. — *discernens dividit*, pro: me discernit et disiungit.

180. *quemne*, pro simplice: quem, ut v. 183. *Quine*, pro: qui. Particula *ne* in interrogationibus nonnunquam abundat. Exempla dabit Lexicon *Forcellini*. Cf. Horat. Sat. II, 2, 107. *Uterne* cett.

183. *lentos incurvans gurgite remos?* exquisite pro: navi remis impulsa. *Remi* dicuntur *lenti*, flexibiles, quia, dum in aqua agitantur, hac agitatione inflecti videntur; hinc *lentare remos* est: remigare. Virg. Aen. III, 384. *lentandus remus in unda;* et hoc

Praeterea litus, nullo sola insula tecto;
Nec patet egressus, pelagi cingentibus undis.
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam iustam a Divis exposcam prodita multam,
Coelestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virûm multantes vindice poena,
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantes praeportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas,
Quas ego, vae miserae! extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum;
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, Deae, funestet seque suosque.
Has postquam moesto profudit pectore voces,
Supplicium saevis exposcens anxia factis:
Annuit invicto coelestum numine rector,
Quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt
Aequora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem caeca mentem caligine Theseus

sensu natanti Leandro apud Ovid. Her. XVIII, 58. *lenta brachia* tribuuntur.

184. *nullo sol. ins. tecto*, deserta insula, ubi nullius usquam incolae tectum conspicitur.

187. *ostent. omn. let.* Virg. Aen. I, 91. *Praesentemque viris intentant omnia mortem.*

189. *a corpore fesso*, enecto.

190. *prodita*, perfide deserta, turpiter decepta; cf. supr. ad XXX, 3.

192. *facta*, sc. impia, nefanda; in utramque enim partem tam bene quam male facta simpliciter passim *facta* dici solent.

193. *Eumenides, quibus* cett. Senec. Med. 13. *Adeste, adeste sceleris ultrices deae, Crinem solutis squallidae serpentibus*, et Herc. Fur. v. 85.

194. *exspir. praep. pect. iras*, significantissime: ardentes in pectore iras (*praeportat*, prae se fert) exspirat et emittit.

196. *extremis*, intimis. Ovid. Heroid. IV, 70. *Acer in extremis ossibus haesit amor.*

197. *inops*, sc. consilii et auxilii. — *ardens*, sc. ira de perfidia Thesei.

199. *vanesc.*, impunitum manere.

204 seqq. *Annuit invicto* cett. ratam hanc imprecationem esse iussit Iupiter ingente per coelum reboante tonitru. Cf. Hom. Iliad. I, 528 seqq.

206. *mundus* (ut κόσμος apud Graecos), saepe pro: coelum.

Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quae mandata prius constanti mente tenebat,
Dulcia nec moesto sustollens signa parenti,
Sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi cum moenia Divae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia complexum iuveni mandata dedisse:
Gnate, mihi longa iucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremae nuper mihi fine senectae,
Quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura,
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae,
Sed primum multas expromam mente querelas,

208. *Consitus*, insolentius pro: obsitus, obtectus, obrutus, obscuratus.

209. *Quae mandata* cett. mandaverat scilicet Aegeus filio suo a se discedenti Theseo inter alia, ut sequitur, hoc, ut, si re feliciter gesta domum rediret, huius victoriae signum iam eminus ederet velo nigro in candidum mutato; sed filius huius paterni mandati fuit immemor. Itaque pater, cum reducem navem cum velo nigro e vertice prospexisset, inde in mare se dedit praecipitem.

210. *Dulcia signa*, significanter pro: vela candida, quorum conspectus sub filii reditu patri debebat esse *dulcissimus*.

211. *Erechtheum portum*, intellige litus, ab antiquissimo Athenarum rege *Erechtheo* ita dictum; nam Thesei temporibus nondum portus Piraeus patebat navibus. Debetur autem lectio *Erechtheum* ingenio *Vossii*.

212. *classi*, nave, ut supr. v. 53.

212—214. *Namque ferunt* cett. orationem paulo impeditiorem iunge et extrica fere sic: *Namque ferunt* Aegeum, *cum* ille *gnatum moenia Divae* (Athenas Minervae sacras) *linquentem ventis* (mari) *concrederet, complexum eum* (dum complectebatur gnatum) *talia mandata dedisse* proficiscenti *iuveni*.

215. *unice*, dilectissime. cf. supr. ad XXIX, 12.

216. *cogor*, pietate scilicet erga patriam horribili tributo liberandam.

217. *Reddite in extremae* cett. vox *reddere* propria significatione accipienda videtur. Theseus enim, apud Pittheum, filium Pelopis, ad virilem usque aetatem educatus, cum ad patrios lares rediisset, *redditus* quodammodo est patri Aegeo, cuius languida lumina *nondum* exsatiari potuerant insignis, qua filius incederet, corporis figurae et staturae contemplatione. At sunt qui in hoc versu Homericum τηλύγετον expressum esse statuant; tum sane *reddi* pro: *dari*, et hoc pro *nasci* positum est. Sed prior explicatio multo rei est accommodatior.

221. *gaudens*, sc. de hac expeditione, ut re certi et optati eventus.

Canitiem terra atque infuso pulvere foedans;
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis
Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quae nostrum genus ac sedes defendere fretis
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Haec vigeant mandata, nec ulla obliteret aetas:
Ut, simulac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennae deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Lucida qua splendent summi carchesia mali,
Quamprimum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem aetas prospera sistet.

224. *Canitiem terra* cett. mos ille, quo homines gravi luctu prostrati terra et pulvere caput crinesque commaculant, repetendus est a furore, in quem miseros coniicit luctus vehementia. Homer. Iliad. XVIII, 23 seq. et Odyss. XXIV, 316. Virg. Aen. X, 844. *Canitiem multo deformat pulvere.*

225 — 227. *Inde*, tum, *suspendam lintea infecta*, tincta, sc. nigro colore, ut docent sequentia, *malo vago*, circumvago (ut *vagus navita* apud Tibull. I, 3, 40. 41.), eo quidem consilio, ut *Carbasus Hibera* (vela ex lino, quod in Iberia sive Hispania nascitur, confecta; sic *funes Iberici* apud Horat Epod. IV, 3.) *dicat* (declaret, prodat) *obscura ferrugine* (colore nigricante. Virg. Georg. I, 467.) *nostros luctus et mentis nostrae incendia.* — *Lachmannus* pro *obscura dicat* dedit: *obscurata decet*, ut sit: *ut* (sicuti) *carbasus Hibera decet nostros luctus*, luctibus nostris convenit. — *incendia mentis*, de ardentioribus animi commotionibus. Cic. de Fin. V, 24. *cupiditatum incendiis inflammatus.*

228. *sancti incola Itoni*, Minerva, a templo antiquissimo, quo illa in urbe Thessaliae *Itono* vel *Itone* culta fuit.

229. 230. *Quae — Annuit*, quae favet iis, qui freti sc. favore vel numine Minervae genus nostrum et sedes defendere audent. — *ut tauri resp. s. dextram*, ornate pro: ut occidas Minotaurum.

233 — 238. *Ut, simulac* cett. Sensus: Ut, simulac colles nostri in conspectum tuum venerint, antennae undique deponant vela nigra, et pro iis antennae in summo malo sustollant vela candida, utque, cum victor redibis, id ego cernens laetitiam de victoria tua animo praecipiam. — *Funestam vestem*, vela nigra, funeris vel caedis indicia. — *carchesia mali*, extrema mali pars, ubi funes per foramina transmittuntur. Vid. Non. c. 15. n. 28. *Serv.* ad Virg. Aen. V, 77. — *lucida*, procul fulgentia. — *aetas prospera*, fausta aetatis nostrae fortuna; pro *aetas prospera* apud *Gryph. Muret. Graev.* legitur *sors prospera*, sed nostra lectio videtur mihi significantior, quasi post Thesei victoriam nova plane et quidem felicior aetas initium captura sit.

Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cum primum inflati conspexit lintea veli,
Praecipitem sese scopulorum e vertice iecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quae tum prospectans cedentem moesta carinam,
Multiplices animo volvebat saucia curas.

239—241. *Haec mandata* cett. observa artem, qua poeta connexuit et aptissima comparatione expolivit sententiam hanc: Sed haec mandata pulsa sunt ex animo Thesei, sicuti nubes ex alti montis cacumine pelli solent ventorum flamine; pro vulgari: sed haec mandata effluxerunt ex Thesei animo. — Ad *cacumen* supple: *linquunt*. — *aerium*, altum, ut *Alpes aeriae* apud Virg. Georg. III, 474. — *niv. mont.* altorum enim montium cacumina nive obtecta conspiciuntur. Supr. LXIII, 70. *Idae nive amicta loca.*

242. *summa ex arce.* vulgo *arcem* de arce Athenarum, ἀκροπόλει, accipiunt; idem tradunt veteres mythographi. cf. Diodor. IV, 61.; sed cum Aegeus v. 233. dixerit: *simulac nostros invisent lumina colles*, idemque v. 245. *sese e scopulorum vertice praecipitem iecisse* dicatur, *arx* quoque, ut passim, de collis alicuius cacumine explicari potest. Ovid. Met. I, 467. *umbrosa Parnassi constitit arce.* Et sane, si senex Aegeus colles adscenderit, ut inde prospectum in mare peteret, id patris sollicitudinem multo graviorem et acriorem reddit.

243. *Anxia in assiduos* cett. versus elegantissimus pro vulgari: assiduis lacrimis anxia sollicitudine expressis absumens et corrumpens oculos.

244. *inflati*, vento impleti. Virgil. Aen. III, 357. *tumidoque inflatur carbasus Austro.* Sed magis placet prolata a *Vulpio* lectio: *infecti*, scil. *obscura ferrugine* in v. 227.

247—249. *Sic fun. domus* cett. Sic fortis Theseus, cum domum intraret patris morte afflictam, eundem luctum, quem Ariadnae perfidia sua intulerat, expertus est.

250. *Quae tum prospectans* —. *Silligius* et *Lachmannus* revocarunt vett. Codd. *Statii*, *Voss.* cett. lectionem *Quae tamen adspectans*, sed aperte corrupta est haec lectio; equidem certe ex particula *tamen* orationis nexum vel sensum commodum elicere non potui. Servavi igitur lectionem *Mureti* et aliorum *Quae tum prospectans;* mihi ipsi in mentem venit: *Quae nunc adspectans.* — *Quae tum*, quae quidem Minois *tum* vel *nunc* scilicet in imagine vesti stragulae intexta moesto animo fugientem Thesei navem prospectans cett. — *saucia*, sc. Thesei amore; sponte succurrit primus versus libri quarti Aen. Virg. *At regina gravi iamdudum saucia cura;* vel simpliciter: de Thesei perfidia curas animo volvens gravissimas.

At parte ex alia florens volitabat Iacchus
Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis,
Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes, evoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divulso raptabant membra iuvenco;
Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quae frustra cupiunt audire profani;
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant.
Multis raucisonos efflabant cornua bombos,

252. *parte ex alia*, scil. vestis stragulae (supr. v. 50.) *priscis hominum figuris variatae.* — *florens*, florente aetate; sempiterna enim iuventus Baccho tribuitur. — *volitabat*, huc illuc agitabatur et discurrebat.

253. *Cum thi. Sat. et Nys. Sil.* dum Satyri et Bacchi comites, *Sileni*, in urbe Indiae Nysa nati, *thiasos*, h. e. saltationes vel choreas circa Bacchum instituebant. Apud Virg. Eclog. V, 30. pastor Daphnis *Bacchi thiasos induxisse* dicitur. *Bacchus* igitur ut novus Ariadnae amator in veste stragula apparebat.

255. *lymphata*, insana. *lymphati* vel *lymphatici* (νυμφόληπτοι) proprie dicebantur, qui, quod vidissent nympham aquaticam, mente capti furebant. *Lymphata pectora* apud Ovid. Met. XI, 3. Vid. *Cuperi Observ.* III, 12. et *Drakenb.* ad Sil. Ital. I, 459.

256. *capita inflectentes.* supr. LXIII, 23. *Ut capita Maenades vi iaciunt hederigerae.*

257. 258. *thyrsos. thyrsus*, hasta, cuius cuspis hederis et pampinis velata vel obvoluta fuit, quam et Bacchus et Bacchae in orgiis quassare solebant. Descriptum dedit *thyrsum* Virg. Eclog. V, 31. *Et foliis lentas intexere mollibus hastas.* — *e div. rapt. m. iuv.* sicuti Pentheus a matre sua Agave, in furorem Bacchicum coniecta, tanquam aper dilaniatus esse refertur. Ceterum haec omnia ducta sunt ex Eurip. Bacch. vid. imprimis v. 736.

259. *serpent. incing.* Bacchantes scilicet ad vim, violentiam et potentiam, quam Baccho acceptam referrent, declarandam non solum serpentes impune tractare et perdomare, sed etiam iis corpus et caput praecingere solebant; cf. de hoc serpentium cinctu *Voss.* et *Muret.* ad h. l.

260. *celebrab. org.* *orgia celebrare* (ὀργιάζειν), de sacris Bacchicis, quia cum ὀργῇ (furore) celebrabantur. — *obscura*, in cistis obtecta frondibus et aliis rebus, ne mystica et obscena profanorum oculis cerni possent. — *cavis cistis.* hinc mysticas cistas portantes dicti sunt *cistophori.*

261. *audire*, cognoscere ea et iis interesse.

262. *tympana*, cf. supr. LXIII, 8—10. — *proceris. procerae* enim fere sunt manus vel brachia, quae, dum pulsant tympana, extenduntur, huc illuc moventur et agitantur. — *tereti*, concavo. — *aere*, cymbalo. cf. LXIII, 21. — *tenues*, clare vel acute sonantes.

264. 265. *Multis* est casus tertius; iunge: *cornua multis efflab.*

Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
  Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis coepit decedere Divis.
Hic, qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente, vagi sub lumina solis;
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leni resonant plangore cachinni;
Post, vento crescente, magis magis increbescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta

rauc. bombos, pro vulgari: multi e cornibus efflabant raucisonos bombos. Huc pertinet Lucian. D. D. XII. ὁ δὲ αὐλεῖ τῷ κέρατι, ὁ δὲ ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ ἢ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ. — *cornua*, tam in Bacchi orgiis, quam in Cereris sacris (cf. supr. LXIII, 22.) saepius commemorantur. Intellige autem tibias Phrygias, quibus appositum fuit cornu aduncum et reflexum (κέρας ἀνανεῦον, κώδων), unde graves et rauci soni efflabantur; *adunco tibia cornu* ap. Ovid. Met. III, 533. Cf. *Hemsterh.* ad l. l. Luciani et supr. ad LXIII, 22. — *barbara*, Phrygia, ut *aurum barbaricum* apud Virg. Aen. II, 504., h. e. Phrygium, quia Phryges audiebant *barbari*.

266. *vestis*, sc. stragula, peristroma. — *amictu*, tegumento.

269. *sanctis Divis*, domum nuptialem intraturis et praesentia sua honoraturis.

270 — 276. Excitatus a pube Thessala, e tecto regio domum discedente, strepitus, qui primum fuit lenior, sed deinde crescente turba gravior, aptissime et elegantissime comparatur cum aqua, quae leniore vento leniter, graviore graviter commovetur et impellitur. Hausta est haec comparatio e fonte uberrimo Hom. Iliad. IV, 422 seqq., unde eandem hausit Virg. Georg. III, 237 seqq. et Aen. VII, 528 seqq.

270. *Hic, qualis* cett. In hoc discessu, quemadmodum Zephyrus —: (277.) *Sic tum* cett.

271. *Horrificans*, horrore opplens; aqua enim, cum illa vento incitatur, tremere et horrere incipit. — *Zephyrus* pro vehementiore cuiusvis venti flatu.

272. *sol* dicitur *vagus*, ut *vaga luna*, *vaga nox*, *vaga sidera*, *vagum mare*, quia illa non fixa quasi stant, sed perpetuo motu currunt et vagantur.

274. *cachinni*. per *cachinnos* poeta paulo argutius, vel, si mavis, sublimius expressit tremulos aquae, quae primum lenius murmurare incipit, sonos, quales fere sunt cachinnum moventium. *leni plangore*, percussione leniter ad aures accidente. Sic γέλασμα κυμάτων apud Aeschylum Prometh. Vinct. 90., ubi de similibus locutionibus multa exempla collegit *Blomfieldius*.

275. *magis magis* (μᾶλλον μᾶλλον) pro: magis magisque, ut supr. XXXVIII, 3.

276. *nantes*, profluentes, decurrentes.

277. *vestib. reg. tecta*. inversa constructio, cuius amans imprimis

Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum princeps e vertice Peli
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcunque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favonî,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queîs permulsa domus iucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt superimpendentes,
Mnemonidum, linquens, doctis celebranda choreis,
Non vacuus: namque ille tulit radicitus altas
Fagos ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano lentaque sorore
Flammati Phaethontis et aeria cupressu;

est Virgilius, pro: vestibulum regiorum tectorum.

278. *Ad se*, domum (οἴκαδε). — *vago*, refer ad diversas vias, alio alia via redeunte.

280. *Advenit Chiron* cett. Iam antiquissimis temporibus mos ferebat, ut die nuptiali amici et convivae novis coniugibus dona nuptialia offerrent. *Chiron* igitur, qui habitabat in silvis, dona silvestria obtulit. *Chiron*, Centaurus, filius Saturni et Philyrae, a diis natus, ipse deus (θεὸς ὢν) vel immortalis (vid. Luciani Dialog. Mort. XXVI. et ibi *Hemsterhus.*), in vertice montis Pelii domicilium suum habebat, ubi in antro pueris educandis et erudiendis operam dabat. Thetis igitur nunc sponsa, cum uxor Pelei peperisset Peliden, Achillem, eum Chironis disciplinae tradidisse fertur.

281. *quotcunque*, scilicet flores, *ferunt*, progignunt, gerunt. Cic. de Legg. II. cap. ult. *Terra fruges ferre et cibos suppeditare potest.*

284. *indistinctis corollis plexos*, non certo ordine vel cura, sed promiscue et temere nexos.

285. *risit*, arrisit, suaviter afficit nares intrantium. Cf. *Ruhnken.* ad H. in Cerer. p. 7.

286. *Peneos*, notus fluvius Thessaliae, qui iam personam senilis fluviorum formae induit.

288. *Mnemonidum*, Musarum. — Dedi in hoc loco lectiones, quae mihi videbantur optimae. Sed lubenter cedo iis, qui ex corruptissimarum lectionum varietate pro ingenii sagacitate meliores et aptiores lectiones elicere et in medium proferre valeant.

289. *Non vacuus*, sc. muneribus; non vacuis, quod in patrio sermone dici solet, manibus. — *radicitus*, una cum radicibus effossas.

290. *stipite recto*, trunco in rectum porrecto, vel recta quasi linea et aequalitate extenso.

291. 292. *lentaque sor. Flamm. Phaeth.*, populo vel alno; nota est fabula, ex qua Phaethontis sorores, Heliades, in alnos vel populos mutatae esse finguntur. Ovid. Metam. II, 225 seqq. *lenta* refer ad tenacem et flexibilem naturam arborum vel fruticum, quarum rami vel ramuli facile quidem curvantur, sed aegre franguntur.

Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia poenae,
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus praeruptis.
Inde pater Divûm sancta cum coniuge natisque
Advenit coelo, te solum, Phoebe, relinquens,
Unigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis taedas voluit celebrare iugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructae sunt dape mensae;
Cum interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.

293. 294. *Haec circum* cett. Has arbores sive haec omnia late ad certum ordinem circa domus vestibulum disposita collocavit. Factum igitur est iam antiquitus, quod nonnunquam nostra quoque aetate diebus festis fieri solet.

295—298. *Post hunc* cett. *Prometheus* quoque, filius Iapeti, frater Epimethei, pater Deucalionis, inter deos adest celebrandis Pelei et Thetidis nuptiis. — *solerti corde*, a Graeca enim voce προμήθεια (prudentia, providentia, *solertia*) dictus ille est Προμηθεύς. Is, quia hominem e luto formaverat, ignem e coelo suffuratus erat cett., poenam horum factorum exsolvere debebat rupi in Caucaso adfixus. Liberatus tamen ille est hac poena ab Hercule, sed, ut versu sequente dicitur, *extenuata vestigia veteris poenae gerebat*, h. e. parva adhuc cicatricum tam catena quam cuneo et aquilae rostro ei inflictarum apparebant vestigia.

299. *Inde pater Divûm* cett. Ipse Iupiter, Iuno et alii dii Pelei et Thetidis nuptias dignas, quibus adessent, habuerunt, relicto Apolline et Diana. Causa, cur Apollo et Diana relicti sint, additur v. 302., nempe odium, quo Phoebus cum eius sorore Diana Pelea aspernatus est; sed origo huius odii reticetur.

301. *Unigenamque*, Dianam, uno eodemque partu in insula Delo a Latona editam. — *cultricem mont. Idri*, quae sacra sibi in montibus incolit oppida prope Idrum, montem Cariae; vid. *Voss.* ad h. l. De Diana, montium cultrice, vid. *Spanhem.* ad Callim. Hymn. in Dian. v. 18.

304. *Qui*, qui quidem nominatim indicati dii. — *artus flexerunt sedibus*, artus inclinarunt ad sedes occupandas. Heroicis temporibus mensis non accumbebant, sed assidebant convivae.

305. *constructae sunt*, eleganter pro: ad solemnem morem et ordinem largiter appositae sunt; simillime *mensas exstruere*, Cicero Quaest. Tusc. V, 21. *mensae exstruebantur epulis.*

306. *Cum interea* cett. pectora vaticinantium ita furore rapi et quati solent, ut toto corpore, dum vaticinantur, contremiscant; et sic nunc inducuntur Parcae, vaticinium de futura Pelei et Thetidis sorte editurae. — *infirmo*, refer ad senilem Parcarum aetatem.

307. *Veridicos — cantus.* Horat.

His corpus tremulum complectens undique vestis
Candida, purpurea quam Tyro incinxerat ora;
Ambrosio niveae residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem.
Laeva colum molli lana retinebat amictum;
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum;

Carm. Saec. v. 25. *Vosque, veraces cecinisse, Parcae, Quod semel dictum* (constitutum) *est.*

308—311. *His corp.* cett. Hunc locum olim ineptis lectionibus deceptus male interpretatus sum. Rectior fortasse videbitur ratio, quam mutata simul distinctione nunc in hoc loco explicando et constituendo inii. Pro importuna lectione *quercus* revocavi veterum librr. lectionem *vestis*, quae fuit *candida;* et v. 310. pro: *Ac roseo,* quod idoneam explicationem nullo modo admittit, dedi cum *Vulpio: Ambrosio*, hac sententia: His (Parcis) erat vestis candida, undique complectens Parcarum corpus vel senile vel tremore (dum illae vaticinabantur) quassatum, quam Tyro ora purpurea incinxerat; vittae *(niveae)* albae *(residebant)* erant in *(ambrosio)* divino vertice, vel obtegebant divinum verticem, et manus Parcarum fila e lana deducendo fata aeterna canebant. — Si quis vocis *erat* post *complectens* absentiam ferri posse neget, is versu 309. mecum legat: *Candida erat, pulchra quam Tyro incinxerat ora.* — *Tyro*, ut observat *Vulpius*, fuit nympha, Neptuni deliciae, artis textoriae scientissima; per *oram purpuream* vel *pulchram* intelligo extremam vestis partem, quam Horatius vocat *institam* Sat. 1, 2, 29. de matronis: *Quarum subsuta talos tegat instita veste.* — *incinxerat* pro: cinxerat, ut supr. v. 259. — *Ambrosio*, divino. Virg. Aen. I, 403. *Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere.* Claud. de Nupt. Honor. et Mar. v. 110. de Venere: *Ambrosioque sinu puerum complexa ferocem.* — *residebant*, sedem suam habebant in vertice ambrosio, h. e. obtegebant verticem ambrosium.

311. *Aeternumque* cett. exquisita elegantia pro: Et manus Parcarum *(rite)* solemni opere vel negotio *(aeternum laborem)* aeternam fatorum seriem *(carpebant)* nendo deducebant. — Iam vv. 312 — 320. sequitur luculentissimis coloribus adumbrata descriptio moris, quo olim neri solebat. Non enim olim neates, ut nunc, utebantur machina textoria rota instructa, sed nendi opus tractabant manibus. Quod quidem adhuc fit in quibusdam Germaniae regionibus, ut ipse vidi in inferiore Lusatia. Dextra tenetur fusus, qui, postquam dextrae manus pollice et digito indice impulsus est, in solo circumagitur et circa nentem currit saltatque. In laeva manu cohibetur lana vel colus, unde dextra nunc vacua e lana fila deducit. — *amictum.* vulgo *colus* in genere feminino effertur; unde fuerunt qui pro *amictum* legi mallent: *amictam.*

313. *supinis,* sursum flexis vel erectis.

314. 315. *prono*, deorsum presso. — *torqu. versabat*, elegantius pro: torquebat. — *tereti turbine.* fusus, qui motu concitatissimo circumagitatur, ostendit *turbinem teretem*, h. e. rotationem tenuem et vix oculis assequendam.

Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
Quae prius in levi fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hae tum clarisona pellentes vellera voce
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas:
O decus eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato,
Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum: sed vos, quae fata sequuntur,
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Adveniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus; adveniet fausto cum sidere coniux,
Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulosque paret tecum coniungere somnos,
Levia substernens robusto brachia collo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nulla domus tales unquam contexit amores;
Nullus amor tali coniunxit foedere amantes,

316. *Atque ita decerpens* cett. en nentes, quae, dum dentium ope scabra et nodosa decerpunt, opus aequant atque levigant.

318. *in levi filo*, in filo nunc polito et levigato.

320. *calath.* corbiculae, quasilli, in quibus lanae fasciculos reponere solebant mulieres lanificae. — *virgati*, e virgis vel vimine contexti.

321. *pellentes vellera*, lanae vellera tractantes fusos impellendo et agitando, vel fusorum circumactu.

324. *augens*. possis quidem ad *augens* e versu sequente supplere: *Emathiam*, sed cum *augere* (ut *mutare*, *vertere* et alia) saepius passivi significatione poni soleat (vid. *Drakenb.* ad Liv. III, 6. §. 2.), *augens* pro: *aucte* explicare malim.

325. *Emath. tut. opis*, Thessalorum potentiae praesidium et columen. — *clarissime*, celebratissime olim *nato*, Achille.

328. *duc. subtemina. subtemen* proprie quidem de filo, quod telae vel stamini intexitur, sed deinde de quovis filo, nominatim de filis, quae Parcae deducunt, et proinde de fatis. Hor. Epod. XIII, 15. *Unde tibi reditum certo subtemine Parcae Rupere.*

329. *port. opt. mar. Hesperus.* sic in Fragm. Callimachi LII. (ed. Ern. p. 434.) de maritis: *Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον.* Contra de puellis in Virg. Cir. 352. *Hesperium* (sc. sidus) *vitant, optant ardescere solem.*

333. *Levia subst. rob. br. c.* cum Catullo comparavit Apoll. Rhod. I, 1237. *Lenzius in Spicil. Observ.*

335. *contexit amores*, intra tecta sua ita se invicem amantes recepit et fovit.

Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
    Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui, persaepe vago victor certamine cursus,
Flammea praevertet celeris vestigia cervae.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
    Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi,
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
Periuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
    Illius egregias virtutes claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Quum in cinerem canos solvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
    Namque, velut densas prosternens cultor aristas

339. *expers terr. Achilles*, apud Hor. Sat. I, 7, 12. *Achilles animosus*, ἄφοβος, μεγαλήτωρ.

341. *Qui*, ut πόδας ὠκὺς, *persaepe victor vago cursus certamine —*. *cursus certamen* dicitur *vagum*, quia cursu certantes non certam viam sequuntur, sed latius et liberius vagantur.

342. *Flammea vestigia*, cursum rapidissimum; quem summus agit ardor, furor, impetus, praecipue in cursu, *flammeus* vel *igneus* dicitur. Apud Virgilium, cui obversatus esse videtur Catullus, *Camilla* Aen. XI, 718. *pernicibus ignea plantis Transit equum cursu*, et in eodem libro v. 746. *volat igneus aequore Tarcho.*

345. *manab. sang. rivi*, ut Xanthus post ingentem caedem ab Achille editam; hinc Hom. Iliad. XXI, 21. ἐρυθαίνετο δ᾽ αἵματι ὕδωρ.

346. *longinquo*, in decem annos extracto.

347. *Periuri Pelopis*. nam fidem, quam Pelops dederat Myrtilo, aurigae Oenomai, fefellit; vid. Hygin. Fab. LXXXIV. cf. Homer. Iliad. II, 102 seqq. — *tertius heres*, Agamemnon; scilicet Pelopi in regno successit eius filius Thyestes, Thyestae Atreus, Atreo Agamemnon.

350. *Saepe fatebuntur gn. in fun. matres*, honoris et solatii causa, quod filii non a quovis homine vulgari vel milite gregario, sed ab Achille, tanto viro et heroe, caesi essent.

351. *in cinerem*, ut soluti et passi crines cinere sepulti conspergantur; cf. de hoc luctus genere *Dorvillium* ad Charit. p. 412. et *Interpretes* ad Petron. c. CXI.

352. *variabunt pectora*, variis coloribus, nominatim livore, obducent pectora, ea scilicet tundendo et plangendo. Facete apud Plaut. in Prolog. Poenul. 26. *virgis et loris aliquem variare.* — *infirmis*, ob senectutem.

354. *Namque, velut* cett. Sicut ruris colonus falce demetit aristas, ita Achillem Troiugenum corpora gladio demessurum esse Parcae vaticinantur. Praeivit iam

Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto,
Quoius iter caesis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permixta flumina caede.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Denique testis erit morti quoque dedita praeda,
Cum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos percussae virginis artus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nam simulac fessis dederit fors copiam Achivis
Urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla:

in hac comparatione Hom. Iliad. XI, 67. Horat. Od. IV, 14, 29. de *Claudio: Ut barbarorum Claudius agmina Ferrata vasto diruit impetu, Primosque et extremos metendo Stravit humum.* Plura in hanc rem exempla collegit *Cerd.* ad Virg. Aen. X, 603.

358. *Testis erit* cett. Fluvii saepius rerum praeclare gestarum testes excitantur; cf. supr. XXIX, 20. Respiciuntur imprimis Achillis virtutes, quas Homerus enarrat in Iliad. Libr. XXI., quae rhapsodia propterea μάχη παραποτάμιος inscribitur.

360. *Quoius iter* (cuius cursus), *angustans*, sc. se, angustatum (intra angustiores fines cohibitum; nam alveus per acervos caesorum corporum factus est angustior).

361. *permixta caede*, dum (*caedes*) sanguis caesorum Scamandro immixtus vel admixtus est. *Permixtus* passim pro: admixtus vel immixtus. Lucret. III, 643. Virg. Aen. XI, 634. *permixti caede virorum Semanimes volvuntur equi.*

363—365. *percussae virg.* Polyxenae. — *Polyxena*, Priami filia, puella formosissima, amores in Achillis animo excitasse, sed excitatis amoribus non respondisse dicitur. Occiso deinde Achille ab Alexandro et Deiphobo cum Graeci victores reditum in patriam pararent, vox Achillis, praedae partem postulantis, ex eius sepulcro audita esse fingitur. Polyxena igitur, ad praedarum partem relata, super Achillis sepulcro mactata et Achillis manibus sacrata esse perhibetur; vid. Hygin. Fab. CX. et quos ibi in hanc fabulam laudat *van Staveren.* — *morti dedita praeda*, Polyxena morti, tanquam praeda, destinata. — *teres*, ob formam oblongam. — *excelso coac. agg.* aggestae terrae cumulo imposito; describitur tumulus. — *niveos*, pulcros. Pro *perculsae* rectissime *Lachmannus* revocavit *percussae*, sacerdotis cultro caesae vel mactatae.

368. *solvere*, pro: solvendi. — *Nept. vinc. Urb. Dard.* eleganter pro simplice: Troiam. Apollo et Neptunus, ut notum, muri Troiani conditores perhibentur; unde Neptunus τειχοποιός. — *vincula urbis* dicuntur muri, inter se iuncti, quia muri urbem aliquam tanquam vinculo aliquo continent, muniunt, firmant. Hinc egregie respondet *solvere* pro: diruere.

Alta Polyxenia madefient caede sepulcra;
Quae, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Proiiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Quare agite, optatos animi coniungite amores;
Accipiat coniux felici foedere Divam,
Dedatur cupido iam dudum nupta marito.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Anxia nec mater, discordis moesta puellae
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Talia praefantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcae.
Praesentes namque ante domos invisere castas
Saepius et sese mortali ostendere coetu
Coelicolae nondum spreta pietate solebant.
Saepe pater Divûm templo in fulgente revisens,
Annua cum festis venissent sacra diebus,

369. *Alta*, cf. v. 364.

370. *ancipiti ferro*, de instrumento ferreo, cultro, bipenni cett., quod utrimque habet aciem. Ceterum observa admirabilem elegantiam expressae sententiae: Quae, victima ferro percussa, velut truncus corruente poplite procidet.

375. *Dedatur* cett. iunge: *iam dudum* (nuper) *nupta dedatur cupido marito*; non raro enim *dudum* de re, quae ante breve tempus facta est. Si *iamdudum* (ut est in plurimis editionibus) coniunctim legitur, tum positum videtur *iamdudum* pro: quamprimum, ut apud Ovid. Amat. II, 457. *Candida iamdudum cingantur colla lacertis, Inque tuo flens est accipienda sinu.*

378. *Hesterno collum* cett. haec colli post primae noctis concubitum mensura egregie declarat nutricum ingenium.

381. *caros mitt. sper. nep.* eleganter pro: spem gentis per caros nepotes propagandae abiiciet.

383. Pro *profantes* dedi *praefantes*, quia prima syllaba in *profari* apud poetas corripitur; *praefantes cecinerunt* elegantius pro: praedixerunt, vaticinatae sunt.

385. *ante*, aurea scilicet aetate.

386. *coetu*, pro: coetui, dativus quartae declinationis *u* pro *ui*, sexcenties apud poetas; nec pedestris orationis scriptores hanc formam repudiarunt; vid. *Duker.* ad Liv. XXIV, 19. §. 6.

388. *fulgente*, scilicet eo apparatu, quo templa diebus festis decorari et collustrari solebant. — *revisens*, frequentans. — *Annua sacra*, cum illa *festis* (statis) *diebus* rediissent. Intelligendos esse amplissimos illos ludos, Iovi sacros, primum tertio, deinde quinto quoque anno celebratos, versus sequens docet.

Conspexit terra centum procurrere currus.
Saepe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit,
Cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent laeti Divum fumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est praesens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt;
Perfudere manus fraterno sanguine fratres;
Destitit exstinctos gnatus lugere parentes;
Optavit genitor primaevi funera gnati,
Liber ut innuptae poteretur flore novercae;
Ignaro mater substernens se impia gnato,
Impia non verita est divos scelerare parentes:
Omnia fanda, nefanda, malo permixta furore,
Iustificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

392. *evantes*, vociferantes *Evan* (*Εὐάν*), quod fuit Bacchi cognomen. — *egit*, furore correptas huc illuc agitavit.

396. *Tritonis hera*, Minerva, quae primum virginali habitu ad paludem Tritoniam in lucem prodiisse dicitur; de *lacu Tritone* vid. *Wesselingius* ad Diodor. Sic. III, 53. n. 61. — *Rhamnusia virgo*, *Nemesis* sive *Adrastea*, a cultu in pago Rhamnunte sic dicta; vid. *Spanhem.* ad Callim. H. in Dian. v. 232.

398. *est imbuta*, infecta, inquinata, polluta. cf. supr. v. 11. — *Iustitiamque* cett. Ovid. Met. I, 129 seqq. de aetate ferrea: *fugere pudor verumque fidesque, In quorum subiere locum fraudesque dolique Insidiaeque, et vis et amor sceleratus habendi.*

399. *cupida*, pravis cupiditatibus corrupta.

403. *poteretur* pro: *potiretur*; induit enim nonnunquam hoc verbum tertiae coniugationis formam; exempla suppeditant *Heins.* et *Burm.* ad Ovid. Met. XIII, 130. ubi est: *Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.*

405. Per *divos parentes* intelligit *Scaliger:* deos patrios; equidem malim intelligere: divinae dignitatis maiores.

407. *Iustificam*, quae iusta sunt tuentem et exercentem, pro simplice *iustam*, ut *beneficus* pro: benignus.

409. *se contingi*, eleganter pro: adspici, conspici; *adspiciuntur* enim, qui oculis contingguntur, vel, ut Tacitus loquitur Annal. III, 12., *contrectantur.* — *lumine claro*, clara illa divinitatis luce et splendore, quo dii olim hominibus nondum corruptis apparuerant.

CARMEN LXV.

AD HORTALUM.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus,
Nec potis est dulces Musarum expromere fetus
Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem,
Troïa Rhoeteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.
Alloquar! audiero nunquam tua facta loquentem!
Nunquam ego te, vita frater amabilior,

CARM. LXV.

Catullus se excusat apud Hortalum de nondum misso carmine, quod *de coma Berenices e Callimachi Carminibus* Latine expressum se illi missurum esse promisisset. Causam huius morae affert gravissimam, ingentem scilicet luctum de dulcissimi fratris morte, quae totum ipsius animum miserrime perturbaverit et omne inde doctrinae studium exturbaverit. — Catullus igitur, ut ostenderet, quantum apud se valeat Hortali amicitia et auctoritas, nunc misit illud carmen, in summo adeo animi dolore e Graeca lingua in Latinam translatum. — Per *Hortalum*, ut docet *Ernest.* in *Clav. Cic.* s. v. *Hortalus*, intelligendus est nobilissimus ille orator, quem aeque ac filium et nepotem dictum fuisse *Hortalum* e Cicerone patet, ad Attic. II, 25. IV, 15. cf. *Ernest.* ad Sueton. Tiber. 47. — Si *Hortalus*, cuius mentio fit infr. XCV., est unus idemque, ille sicuti bonus orator celebratus, ita ut malus poeta, qui stans pede in uno ingentem versuum numerum deproperaret, derisus est. Veteres pro: *Hortalum* scripsisse Ortalum (Ὥρταλον) *Valcken. Muretus, Scaliger* et *Bentleius* contendunt. Ceterum hoc carmen haberi potest pro Epistola, Carmini *de Coma Berenices* adiecta.

1. *Etsi me* cett. huius carminis initio respondet demum v. 15. *Sed tamen* cett. Duo illustria exempla orationis longius productae vel interruptae habes apud Hor. Sat. I, 7, 10 seqq. et Epist. I, 15, 1 — 25.

3. *dulces Musarum expr. fetus*, eleganter pro: dulcem fructum aliquem e bonarum litterarum studio perceptum in medium proferre, vel simpliciter in bonarum litterarum studiis versari.

4. *Mens animi* (θυμὸς ἐν φρεσί) antique pro: animus. — *fluctuat*, huc illuc agitatur.

5—8. *Namque mei* cett. observent lectores verborum splendorem, quo poeta exornavit simplicem sententiam: „nam frater meus nuper est mortuus, qui sepultus iacet in litore Rhoeteo." Iunge: *Namque unda manans Lethaeo gurgite pallidulum pedem fratris mei nuper alluit.*

7. *Rhoet. lit.* prope promontorium et oppidum regionis Troadis, Ῥοίτειον, Aiacis sepulcro notum.

8. *obterit*, gravius pro: obtegit. Lucret. III, 916. *obtritus pondere terrae.*

9—12. Versus nonus: *Alloquar* cett. in pluribus Codd. exsulat, haud dubie ob verborum collocationem paulo insolentiorem; at si ad *Alloquar* ex sequentibus suppleveris: *nunquam te posthac*, mutato signo interrogandi in signum

Adspiciam posthac! At certe semper amabo,
Semper moesta tua carmina morte canam,
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias, absumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis moeroribus, Hortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae;
Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo:
Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

exclamandi vel dolendi, sensus exibit satis commodus hic: Nunquam te posthac, o frater ipsa vita mihi amabilior, alloquar! nunquam ego te posthac adspiciam! At certe semper te amabo, semper moestis tuam mortem carminibus deflebo.

13. 14. *Qualia sub densis* cett. Cum flebilibus modis, quibus lusciniae cantu aures nostrae suavissime demulcentur, saepius tam a veteribus, quam a recentioribus poetis planctus et voces lamentabiles, quas edunt lugentes, comparari solent. *Progne*, in lusciniam mutata, appellatur *Daulias*, ab *Δαυλίς*, quod est vetus urbis illius nomen, ubi (Thucyd II, 29.) regnavit Tereus. Alias non *Progne*, sed *Philomela* in lusciniam mutata fingitur, ut apud Ovidium, qui Prognes et Philomelae fabulam mira arte tractavit in Met. VI, 412—476. Sed apud antiquiores poetas ex Progne facta est luscinia. De diversitate in hac fabula, ut in plurimis aliis, vid. *Meurs.* de *Regg. Athen.* II, 4, 5. et *Heyn.* ad Apollod. III, 14, 8. Loci classici de lusciniae cantu cum vocibus querulis et in fletum ductis comparato sunt apud Hom. Odyss. XIX, 518. et Virg. Georg. IV, 511 sqq., quos certatim imitati sunt poetae posteriores. — *absumti*, mactati et comesi. — *fata gemens Ityli.* Hom. l. l. v. 522. *παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.* Auctor Consol. ad Liv. Aug. v. 106. *Deflet Threïcium Daulias ales Ityn.*

16. *Battiadae*, Callimachi, dicti ita vel a patria Cyrene, cuius conditor *Battus* fuisse traditur, vel ab eius stirpis auctore *Batto.*

17. 18. *Ne tua* cett. iunge: *ne forte nequidquam* (frustra, sine effectu) *putes dicta tua vagis ventis credita animo meo effluxisse.*

19—24. Catullus, e cuius animo dolor de fratris morte acerbissimus cogitationem rei in gratiam Hortali peragendae nunc quidem pepulerat, suavissime se comparat cum puella, quae, non cogitans de malo ab amatore aliquo muneri sibi misso et sub veste occultato, cum illud, subito veniente matre excussum, prosilit et praeceps agitur, pudore suffunditur. — *Quod miserae oblitae* cett. *quod* malum *sub molli veste locatum miserae oblitae*, misere amanti puellae immemori nunc mali in gremio locati.

23. *Atque illud prono* cett. hae-

CARMEN LXVI.

DE COMA BERENICES.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus,

si olim in hoc loco, et pro *Atque illud* legendum fortasse esse: *Dumque illud* cett. coniectavi; sed nunc *Atque illud* simpliciter pro: idemque, vel pro: illud vero, positum esse censeo. — *conscius*, sc. furtivi amoris. Non raro aliquis dicitur *conscius*, re, cuius ille sibi conscius est, omissa. Horat. Sat. I, 2, 130. *miseram se conscia* (sc. furtivi amoris) *clamet*. Et sic plane apud Ovid. Art. Amator. III, 621. et 649. — Ceterum ad dona, quae puellis mitti solebant ab amatoribus, pertinebant *mala*. Virg. Eclog. III, 71. *Aurea mala decem misi; cras altera mittam.*

CARM. LXVI.

Dolendum sane est non aetatem tulisse Callimachi carmen, quod Catullus ab Hortalo rogatus Latine reddidit. Nam si illud servatum esset, non solum summa ars, qua elegantiarum pater, Catullus, Callimachi carmen *de coma Berenices* Latinis numeris adstrinxerit, perspiceretur, sed haberemus quoque Lydium quasi lapidem, ad quem rectiora a minus rectis, et elegantiora a minus elegantibus scite distingui et internosci possent. — Ceterum *Muretus* argumentum huius carminis complexus est his verbis:

Ptolemaeus, cognomento Evergetes, Ptolemaei Philadelphi ex Arsinoe priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit; neque enim ea coniunctio inhonesta Aegyptiorum legibus habebatur (vid. Diodor. Sic. I, 23. et ibi Wesseling.). *Ea recens ducta contigit, ut expeditionem adversus Assyrios susciperet; in quam cum proficisceretur, vovisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes victorque rediret domum. Cuius devotionis suae cum, re praeclare a Ptolemaeo gesta, convictam se iudicio deorum immortalium videret, quo se religione exsolveret, crinem rite in Veneris aede appendit. Is cum postridie repertus non esset, magnoque ob eam rem rex reginaque in moerore essent, Conon, mathematicus ea aetate excellens, persuasit ipsis crinem deûm numine sublatum in coelum et in sidus conversum fuisse; idque Callimachus, qui principem illum, propter singulare bonarum artium studium, numinis loco habebat, hoc poemate complexus est. Principium autem continet insignem commendationem Cononis a praestanti coelestium rerum peritia.* — Egregie de hoc carmine Graeco-Latino meruit insigne illud Graecarum litterarum decus, *Valckenarius*, cui debentur *Callimachi Elegiarum Fragmenta cum Elegia Catulli Callimachea*, edita ab Ioanne Luzacio. Lugd. Batav. MDCCIC.

1. Ipsa *Coma* per totam hanc Elegiam loquitur. — v. 1 — 7. *Omnia qui — idem me ille Conon*, insignis astrologus (qui *septem libros de Astrologia* edidisse et observationes *de solis eclipsibus* congessisse dicitur). Vixit ille, ut ex hoc carmine discimus, aetate illa, qua rerum gestarum gloria floruerunt Ptolemaei, Philadelphus et Evergetes. — *Omnia magni mundi lumina*, omnia magni coeli splendentia sidera; *mundus*, pro coelo, ut supr. LXIV, 206. ubi cf. not. — *dispexit*. eleganter *res dispici* dicuntur, quarum naturam omni ex parte diligenter explorare et pernoscere studemus.

2. *comperit*, observando stella-

Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam, furtim sub Latmia saxa relegans,
Dulcis amor gyro devocet aerio:
Idem me ille Conon coelesti lumine vidit
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare, quam multis illa Deorum,
Levia protendens brachia, pollicita est,
Qua rex tempestate, novo auctus Hymenaeo,
Vastatum fines iverat Assyrios,

rum cursum exploravit, ortum et occasum stellarum cognovit. Similiter fere Horat. Od. I, 28, 5. 6. *Archytam*, ut magnum astronomum, *aerias domos tentasse animoque rotundum percurrisse polum* dicit.

3. 4. *Flammeus ut rapid.* cett. Idem Conon observando intellexit, (ut) quomodo igneus splendor solis rapida velocitate coelum percurrentis *obscuretur* (solis scilicet defectu) et quomodo sidera definito tempore *cedant*, scil. e conspectu removeantur, abeant, occidant. Cic. de Senect. 19. *horae quidem cedunt* (transeunt, fugiunt) *et dies et menses et anni.*

5. 6. *Ut Triviam* cett. Eleganter et docte pro vulgari: Idem Conon causam, ex qua Luna laboret vel deficiat, pervestigavit. Poeta in partes vocat fabulam Lunae, quae formosissimum iuvenem, Endymionem, vel pastorem, vel venatorem, amasse et, cum illum in Cariae monte, Latmo, dormientem prospexisset, deliciarum furtim apud eum faciendarum causa e coelo descendisse fingitur. Quando igitur Luna deficiebat, eam apud Endymionem latitare iocose dictitare solebant homines. Iunge: *Ut* (quomodo) *dulcis amor relegans* (abire iubens) *Triviam furtim* (furtivi amoris causa) *sub saxa Latmia* (in montem saxosum Latmum) *devocet aerio gyro* (e coelo rotundo). De voce *Trivia* cf. supr. ad XXXIV, 15.

7. 8. *Idem me* cett. iunge: *Idem ille* (celebratissimus astronomus) *Conon me caesariem e Bereniceo vertice* (desectam e Berenices vertice) *vidit* (observavit) *clare fulgentem coelesti lumine*, splendore, nisi fortasse pro *lumine* cum *N. Heinsio* legendum sit *limine*, ut *limen Olympi* apud Virg. Eclog. V, 56., vel *limite*, ut plane infr. LXVI, 59. *limite coeli.*

9. 10. *quam multis illa* cett. quam quidem caesariem pluribus diis (e. c. Marti, Veneri, et aliis, quorum custodiae maritum in bellum proficiscentem mandaverit) *(pollicita est)* devovit, *protendens brachia* (σχῆμα precantis, vel, ut hoc loco, devoventis aliquid diis), protensis brachiis vel, ut loquitur Horatius, *supinis manibus.* *Levia*, cutis levore nitentia. De more veterum comas diis consecrandi praeter *Stat.* et *Vulp.* ad h. l. vide *Iun. de Coma* p. 509. Ceterum ambigit totius distichi v. 9. 10. Catullum auctorem esse sine idonea ratione *Valckenarius.*

11. 12. *Qua rex tempestate* cett. Sensus: eo scilicet tempore, quo Ptolemaeus, beatior factus novis cum Berenice nuptiis, statim post nuptias in bellum ad fines Assyriorum devastandos sive ad Assyrios perdomandos profectus erat. Sensus quidem verborum, *novo auctus Hymenaeo*, quem indicavimus, est satis planus, sed primum in *novo auctus* deprehenditur hiatus (unde fuerunt qui pro *auctus*

Dulcia nocturnae portans vestigia rixae,
    Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
    Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
    Non, ita me Divi, vera gemunt, iuerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
    Invisente novo proelia torva viro.
At tu non orbum luxti deserta cubile
    Et fratris cari flebile discidium,
Quum penitus moestas exedit cura medullas.
    Ut tibi tunc toto pectore sollicitae

legi mallent *mactus*); deinde syllaba brevis *us* sequente littera *H* producta est. Ferenda tamen videtur apud Catullum haec durior numerorum ratio.

13. *nocturnae rixae.* hoc nocturnum mutuae libidinis exercitium Claud. in Fescenn. IV, 29. vocat *nocturnum proelium.*

14. *de virgineis exuviis*, de ereptae virginitatis spolio.

15—20. Ridet *Coma* lacrimas, quas sponsae, cum in sponsi thalamum deducuntur, fundere soleant; illas enim non vere, sed simulate gemere ait; quod probat exemplo Berenices, cui veras lacrimas expresserit verus dolor, cum novus maritus post nuptias a nova coniuge in bellum discederet. Quaerit igitur Coma, num virgines per lacrimas, quas illae die nuptiali effundere soleant, vere se Venerem h. e. connubium aversari declarent, an fallant gaudia parentum, filias lacrimantes invito animo a se discedere opinantium.

18. *iuerint.* Ennius apud Ciceronem in ipso libri de *senectute* limine: *O Tite, si quid ego adiuero curamve levasso.* cf. Clariss. *Nobbe de Metris* II. p. 23.

19. *mea regina*, Berenice. — *docuit*, scilicet eo, quod Berenice post nuptias non quidem de *flebili discidio*, sed de sola mariti in bellum profecti absentia acerbissimum dolorem suscepit. Itaque virgines, quae vere amant, die nuptiali *non vera gemunt.*

20. *invisente proelia. invisere proelia* iam dicitur is, qui venit, ut adsit, intersit et praesit proeliis; sed haec locutio est insolita; dixit quidem Virg. Georg. I, 25. *urbis et terrarum invisere curam*, quod explicant: suscipere vel moderari curam; sed hoc quoque loquendi genus apud Virgilium est novum et inusitatum. — *torva*, saeva, atrocia, fera; potes quoque referre ad milites, qui *torvo* vultu pugnant.

21—24. *At tu non orbum* cett. Servavi lectionem: *At* pro *Et*, quam olim ex coniectura dedi. Sensus autem huius impeditioris et obscurioris loci videtur esse fere hic: At multae illae querelae non ortae sunt ex causa iusta et idonea; tu enim non deserta plane a marito luxisti cubile viduum et fratris tui (cari mariti, Ptolemaei, vid. *Argum.*) vinculum coniugiale flebili modo ruptum et discissum, dum *(cura)* hic luctus et dolor moestae tibi exedit medullas. — *Ut tibi tunc* cett. quomodo tibi tunc toto pectore sollicitae mens excidit ereptis sensibus! Atqui ego mihi videbar certe te a teneris cognovisse fortioris animi virginem, quae non facile tanto

Sensibus ereptis mens excidit! Atqui ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Coniugium, quod non fortior ausit alis?
Sed tum moesta, virum mittens, quae verba locuta es!
Iupiter, ut tristi lumina saepe manu!
Quis te mutavit tantus Deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge Divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset is haud in tempore longo, et
Captam Asiam Aegypti finibus adiiceret?

luctu et furore se abripi et agitari passura esset. — Pro *discidium* male in quibusdam Editt. legitur *dissidium*, nam *dissidium* est dissensio in sententiis, *discidium* vero rupta et discissa coniunctio, disiunctio. — Totus hic locus Amicissimo *Iacobsio* scribendus et distinguendus videtur sic:

Et tu non orbum luxti deserta cubile
Et fratris cari flebile discidium?
Quam penitus moestas exedit cura medullas!
Ut tibi tunc toto cett.

hoc sensu: Nonne tu quoque graviter luxisti orbatum marito cubile? Certe luxisti. Quam penitus enim cett. Ut mens tibi excidit dolore! Hae verae fuere lacrimae: falsae igitur illae, quas fudisti marito primum tradita. Particularum *quam* et *ut* eadem vi h. l. positarum usum illustravit *Huschkius* ad Tibull. T. I. p. 388. nec Catulli locum ibi praetermisit.

27. 28. *Berenice*, quae in antecedente versu vocatur *magnanima*, plura peregisse videtur, quae fortem et virilem eius animum proderent. Ad ea pertinent quae memorat Hygin. Poet. II, 24., cuius narrationem de Berenice in gratiam eorum, quibus non ad manus est Hyginus, attexere iuvat: *Hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere et ad Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemaeum, Berenices patrem, multitudine hostium perterritum, fuga salutem petisse, filiam autem, saepe consuetam, insiliisse in equum, et reliquam exercitus copiam constituisse, et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse, pro quo etiam Callimachus eam* m a g n a n i m a m *dixit.* — Quale vero virtutis specimen vel bonum facinus Berenice ediderit, quod Ptolemaeum ad eam maritandam permoverit, disertis verbis non indicatum est. — *alis* prisce pro *alius*, ut *alid* pro *aliud*.

29. *virum mittens*, sc. in bellum, cum maritus a te discedens in bellum proficisceretur.

30. *Iupiter*, cf. supr. I, 7.

31. *te*, sc. magnanimam. — *tantus*, tantae potentiae, Amor.

33. *me*. loquitur, ut ab initio monuimus, *Coma*. — *cunctis*, supr. v. 9. *multis*. — *pollicita es*, sacrasti, devovisti, supr. v. 10.

35. *haud in tempore longo*, pro: brevi tempore. Pertinet hic locus ad exempla, ubi praeter morem praepositio *in* voci *tempus* additur.

36. *Asiam*, intellige Asiae partem, Syriam. — *tetulisset* et *adiiceret*, de hoc loquendi genere, quo

Queis ego pro factis coelesti reddita coetu
    Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
    Invita: adiuro teque tuumque caput:
Digna ferat, quod si quis inaniter adiurarit.
    Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
    Progenies Thiae clara supervehitur,
Cum Medi peperere novum mare, cumque iuventus
    Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
    Iupiter, ut Chalybon omne genus pereat,
Et qui principio sub terra quaerere venas
    Institit ac ferri fingere duritiem!

plusquamperfectum excipit imperfectum, vid. *Cort.* ad Sallust. Iugurth. LIX, 3.

37. 38. *coelesti coetu*, ut supr. LXIV,386. *mortali coetu*, pro: coetui. — *reddita*, data, oblata. — *Pristina*, nuncupata olim. — *novo munere*, crine meo, haud vulgari munere.

40. *adiuro teque t. caput. Bentleius* in *Fragm. Callim. Edit. Ernest.* p. 582. ex Etym. M. affert haec verba Callimachi: *Σήν τε κάρην ὤμοσα σόν τε βίον.*

42. *Sed qui se* cett. sed quis est, qui se vim ferri sustinere vel repellere posse opinetur? Per *ferrum* intellige instrumentum ferreum vel chalybeium v. 48., quale fere crinibus desecandis adhiberi soleat.

43 — 46. *Ille quoque evers.* cett. Per hyperbolen res parva *(si parva licet componere magnis)* sive levis opella comparatur cum illo stupendae rei opere, quo mons altissimus Macedoniae, *Athos*, a Xerxe, ut ille viam in Graeciam sibi pararet navigabilem, perfossus et ferro (ferreis instrumentis) excisus dicitur vel fingitur. Nam Iuvenalis Sat. X, 173. *creditur olim Velificatus Athos, et quidquid Graecia mendax Audet in historia.* Lepide igitur et iocose crinium decisio comparatur cum montis altissimi excisione vel eversione. — *quem max. in or. Pr. Th. cl. supervehitur*, super quem, in Macedoniae finibus maximum, Sol cursum suum tenet. — *Thiaé clara Progenies*, Sol; *Thia* enim est Solis mater, et Thiae coniux Hyperion, eius pater. — *peperere novum mare*, mari in fretum excisum immisso novam sibi in Graeciam viam fecerunt. — *Athon*, Nomin. *Athos, Athon, Atho;* Genit. *Athonis;* Dativ. et Ablat. *Atho;* Accus. *Athonem, Athon, Atho.*

47. *Quid facient crines*, quomodo crines resistere poterunt ferro?

48. *Iupiter, ut*, formula optandi, utinam. Horat. Sat. II, 1, 43. *Iupiter, ut pereat positum robigine telum.* — *Chalybon*, forma Graeca pro: Chalybum, populi Asiae circa Pontum, ferri, quod ibi effodiebatur, copia insignis; unde *Chalybs* pro ferro. Verba Callimachi afferuntur in Scholiis apud Apollon. Rhod. II, 375. *Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος, Γειόθεν ἀντέλλοντα, κακὸν φυτὸν, οἵ μιν ἔφηναν.*

50. *Institit*, instituit, vel gnaviter tentavit; *instare* enim et *insistere* dicuntur, qui rei alicui susceptae gnaviter instant eamque omni virium contentione per-

Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
    Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
    Obtulit Arsinoes Locridos ales equus,
Isque per aetherias me tollens avolat auras
    Et Veneris casto conlocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
    Grata Canopaeis in loca litoribus.
Scilicet in vario ne solum limite coeli
    Ex Ariadneis aurea temporibus

ficere student. vid. *Drakenb.* ad Liv. XXX, 12. §. 18., nisi *insistere* vel *instare* simpliciter pro: coepisse, incipere, accipere malis.

51—56. *Abiunctae paulo ante comae* cett. Sensus: Comae, sororio quasi paulo ante vinculo mecum in Berenices capite coniunctae, at nunc disiunctae (*abiunctae*), hanc meam sortem (*fata mea*) et disiunctionem dolebant, cum alatus Zephyrus, (*nutantibus*) trepidantibus pennis (*impellens*) secans aerem, se mihi obtulit, et is, me tollens per auras, avolat et in Veneris gremio collocat. — *Unigena* (συγγενής, cf. supr. LXIV, 301.), frater *Memnonis*, qui communem cum Zephyro matrem, Auroram, habuit. — *pennis nutantibus*, alis agitatis, trepidantibus, sicuti *Amori* apud Tibull. II, 2, 17. alae *trepidantes* tribuuntur, quae subinde moventur et huc illuc agitantur, *nutant*, trepidant. — *Arsinoes Locridos* (pro *Chloridos* recepi lectionem, quae debetur *Bentleio*, certissimam *Locridos*) *ales equus*. *Arsinoe*, Ptolemaei Philadelphi soror et coniux, Berenices mater adoptiva videtur; *Locridos ales equus* (vid. Bentl.) sine dubio iam est *Zephyrus*; proprie quidem equus alatus est Pegasus, sed venti in universum ob eorum velocitatem dicuntur *alati*. Nos olim in peculiari *Commentatione* egimus de *Alatis Imaginibus*, Gothae, 1786., ubi de *ventis alatis* vid. p. 23. *Thraces equi* dicuntur venti apud Valer. Flacc. I, 611. Ζέφυρος ἱππεύσας ap. Eur. Phoen. 220. *Eurus equitans per Siculas undas* apud Hor. Od. IV, 4, 43. *Laetus Eois Eurus equis* apud Virg. Aen. II, 418. — Pro: *advolat* recepi cum *Silligio* *a v o l a t*; olim ego coniectabam *evolat*. Vulgatae lectioni *auras* plures praetulerunt *umbras*, quod Coma sublata sit noctu; sed eodem redit *auras*.

56. *Veneris casto in gremio*, scilicet ut mortalia apud Venerem fierent immortalia. Theocrit. XV, 106—8. *Κύπρι Διωναία, τὺ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατᾶς, Ἀνθρώπων ὡς μῦθος, ἐποίησας Βερενίκαν.*

57. *Zephyritis.* ita appellabatur *Arsinoe* a promontorio Africae, ubi nomine Arsinoes *Κύπριδος* colebatur; vid. Athen. VII, p. 318. D. et Stephan. de Urbibus sub voce Ζεφύριον: ἔστι καὶ ἄκρα τῆς Αἰγύπτου, ἀφ᾽ ἧς ἡ Ἀφροδίτη καὶ Ἀρσινόη Ζεφυρῖτις, ὡς Καλλίμαχος. — *famulum*, obsequiosum, vel, ut Horatius loquitur, *uxorium* maritum, Zephyrum.

58. *Grat. Can. in loca litoribus*, in loca grata et iucunda prope litora Canopaea sive ad ostium Nili sita; *Canopus*, urbs Aegypti ad Nili ostium, quod dictum est *Canopicum*. — *Grata*, quia ibi Arsinoes fuit sedes et patria.

59—62. *ne in vario limite coeli*, in coelo variis sideribus distincto, *corona*, quam in capite gesserat Ariadne, *aurea* (a Vulca-

Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae,
Uvidulam a fletu, cedentem ad templa Deûm, me
Sidus in antiquis Diva novum posuit.
Virginis et saevi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaonidi,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia Divûm,
Luce autem canae Tethyi restituor:
(Pace tua fari haec liceat, Rhamnusia virgo;
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Non, si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin veri pectoris evoluam:)
Non his tam laetor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominae vertice discrucior,

no ex auro et Indicis gemmis facta), sola fulgeret. De Ariadnes corona copiose egit Hygin. Astronom. II. cap. 5. Locum, quem Corona in coelo occupaverit, Berenice ipsa designat v. 65 seqq.

62. *sed nos quoque fulgeremus* cett. Sensus: sed ut nos quoque comae e flavo Berenices vertice demessae et ab ipsa diis devotae fulgeremus. Senec. Hippolyt. v. 1181. *Placemus umbras, capitis e x u v i a s cape, Laceraeque frontis accipe abscissam comam.*

63. *a fletu*, quem expresserat dolor de crinium iactura. — *ad templa Deúm*, magnificentius pro vulgari: ad coelum. Lucret. I, 1013. *lucida templa coeli.* Ter. Eunuch. III, 5, 42. *Iupiter, qui t e m p l a c o e l i summa sonitu concutit.*

64. *in antiquis*, sc. sideribus, inter antiqua sidera.

65 — 68. Pro particula *namque*, quia haec particula ab orationis initio poni solet, olim tentabam *nempe*. Sed *nam* quoque post plures demum voces ponitur. Plaut. Pers. II, 5, 13. *Quando haec innata est n a m tibi*, et Bacch. V, 1, 26. *Quid tibi ex filio n a m aegre est.* Et sic γάρ apud Graecos. vid. Cl. *Meinekius* ad Menandr. p. 7. — *Lumina*, sidera. — *iuncta*, proxima, vicina. — *Callisto* (Dativ.) *Lycaonidi*, filiae Lycaonis, a Iunone in ursam mutatae; pro vulgari: prope Ursam Maiorem sive Septentrionem. Pro lectione vulgata *Lycaoniae* dedi cum *Valcken. Orell.* et *Silligio*: *L y c a o n i d i.* — *tard. ante Booten. Bootes* sive *Arctophylax* ob lentum eius cursum modo *tardus*, Ovid. Met. II, 177., modo *piger*, ab eodem Fast. III, 405. et Claud. Rapt. Pros. II, 190., modo *serus*, Propert. III, 5, 35., vocatur.

69 — 76. *Sed quamquam* cett. Sensus: Sed quamquam haec mihi contigit felicitas, ut nocte, dum luceo, divi super me incedant, luce autem orta ad Oceanum me recipiam (venia tua, Rhamnusia, haec mihi profiteri liceat, namque ea, quae vera sunt, non occultabo ob ullius timorem, non, [*si*] licet opprobriis me insectentur infesta sidera, [*quin*] immo vera in pectore condita libere in medium proferam), tamen *(his rebus)* hac felicitate non tam laetor, quam potius, quod in perpetuum nunc a *(dominae)* Berenices vertice disiuncta sum, discrucior. — *me no-*

Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus explens
Se unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos, optato quas iunxit lumine taeda,
Ne prius unanimis corpora coniugibus
Tradite, nudantes reiecta veste papillas,
Quam iucunda mihi munera libet onyx,
Vester onyx, casto petitis quae iura cubili.
Sed quae se impuro dedit adulterio,
Illius, ah! mala dona levis bibat inrita pulvis;
Namque ego ab indignis praemia nulla peto.
Sic magis, o nuptae, semper concordia, vestras
Semper Amor sedes incolat assiduus.

etc prem. vest. Divûm. sidus Eridani apud Arat. Phaen. 360. θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται. — *canae Tethyi*, uxori Oceani, canis conspersae, senili; vel refer *canus* (ut alias vocem *caeruleus*) ad canum deorum marinorum colorem. — *Rhamnusia*, Nemesis, ultrix superbiae et insolentiae, imprimis maledictorum. cf. supr. LXIV, 396. — *evoluam*, edisseram.

77. *Quicum*, pro: quacum, ut apud Virg. Aen. XI, 822. *fida ante alias quae sola Camillae, Quicum partiri curas.* — Ceterum corrupta in hoc versu lectio *expers* mirum in modum exercuit interpretes, mirasque emendationum formas procreavit, quarum tamen nulla mihi probata est. Ego pro ineptissima lectione *expers* exhibui explens, et voculam *se*, quae ante *unguentis* excidisse videtur, revocavi. Sic in hoc disticho clara et manifesta sunt omnia. Sensus: Quacum ego, dum illa quondam fuit virgo, omnibus unguentorum generibus se explens, multa millia unguentorum (*una*) simul bibi. Possis quoque emendare: *expleta Unguentis*, ut versus sit hypermeter, dum vocalem *a* absorbet sequens in pentametro vocalis *u*.

79—82. *Nunc vos* cett. e farragine lectionum, quibus hic locus obrutus est, delegi eas, e quibus sensum commodum certe elici posse arbitratus sum. — Iam *Coma Berenices* se profitetur ut sidus salutare novis nuptis, sed castis tantum, non incestis vel impuris. „Nolite, inquit, vos, quae faustas celebrastis nuptias, nolite prius novis maritis corporum vestrorum veste deposita copiam facere, quam mihi ut patronae vestrae unguenta libaveritis, vos dico, quae castum inire cupitis coniugium; at incestarum munera vana erunt et irrita." — Coma Berenices, quae iam olim virgo comas et caput largiter unguentis delibuere solita fuerat, *nunc* sibi divinis honoribus auctae unguenta libari postulat. — *onyx*, vasculum unguentarium, ex onyche vel alabastro confectum.

83. *Vester onyx*, vestra scilicet munera, quae, quod exigit in coniugio castitas, exercere cupitis. — *iura*, iusti amoris fructus.

84. *se dedit*, se dicat, addicit, tradit, pro vulgari: indulget.

87. 88. *Sic magis* cett. sic multo magis semper concordia, semper amor assiduus (nunquam recedens), o nuptae, sedes suas apud vos figant. — *assiduus*, qui semper quasi assidet. Sic fere *Furiae*, quae perpetuo premunt et instant, apud Cic. in Orat. pro Rosc. Am. cap. 24. dicuntur *assiduae*.

Tu vero, regina, tuens cum sidera Divam
    Placabis festis luminibus Venerem
Sanguinis expertem, non votis esse tuam me,
    Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam:
    Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

CARMEN LXVII.

AD IANUAM MOECHAE CUIUSDAM.

Catullus.

O dulci iucunda viro, iucunda parenti,
    Salve, teque bona Iupiter auctet ope,

89—92. *Tu vero, regina* cett. Sensus huius loci misere lectionibus depravatis laborantis, ut eum exhibuimus, est fere hic: Tu vero regina, Berenice, cum *tuens sidera* (vultu ad sidera converso, σχῆμα precantium) diebus festis Divam Venerem *sanguinis expertem* (cui, nominatim Veneri Paphiae, non sanguis mactatarum hostiarum offundebatur; vid. Tacit. Hist. II, 3. cf. *Cerd.* ad Virgil. Aen. I, 417.) *Placabis*, propensam tibi reddes, *non votis* (non promissionibus), sed potius largis muneribus effice, *me tuam esse*, me de integro ad tuam possessionem pertinere. — Pro *sanguinis* ingeniose tentabat *Bentleius: unguinis* et pro *non votis* emendat *Scaliger: ne siveris.*

93. *Sidera cur retinent?* scilicet *me:* volebat Coma ad dominam redire, sed cetera sidera eam retinebant, h. e. eam a se recedere non patiebantur.

94. *Proximus Hydrochoi* cett. quod si fiat, tum per me licet Orion, vicinus sideri Hydrochoi (graece pro Hydrochoo), fulgura emittat tonetque. — *Oarion* sive *Orion*, sidus in ipso circulo aequinoctiali prope Taurum; tribuitur ei ensis, cuius fulgor serenitatem, obscuritas tempestatem portendere putabatur. *Hydrochous*, signum vel sidus Aquarii. — *fulgeret* antique pro *fulguret.*

CARM. LXVII.

Catullus, ut non solum moecham quandam, sed etiam moechos, qui illam inviserent. per ora hominum traduceret, finxit se cum ianua, in domum moechae ducente, colloquium instituisse et, quid ianua adhuc viderit et observaverit, ex ea quaesivisse. — Laborat sane hoc carmen tam obscenitate, quam obscuritate; sed fortasse Catullus, ut poeta iam Satyricus, data opera factus est obscurior. — Equidem rem omnem ita concepi animo: Possessor domus, de qua sermo est, fuit *Balbus.* Ei fuit filius *Caecilius*, non germanus, sed, ut videtur, adoptivus et Balbi haeres. Hic habuit uxorem, quam tamen ob corporis infirmitatem non ipse maritus, Caecilius, sed eius parens Balbus uxoris loco habuit. Mortuo Balbo Caecilii uxor, cum eius libidini non responderet maritus, admisit moechos. In his fuerunt Posthumius, Cornelius, et quidam *homo longus*, cuius nomen Catullus, quia eius *rubra supercilia* timebat, reticuit.

1. *viro*, marito, Caecilio; ioco-

Ianua, quam Balbo dicunt servisse benigne
Olim, cum sedes ipse senex tenuit,
Quamque ferunt rursus voto servisse maligno,
Postquam est porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

I a n u a.

Non, ita Caecilio placeam, quoi tradita nunc sum,
Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea.
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam:
*Verum isti populo ianua quidque facit, *
Qui, quacunque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant: Ianua, culpa tua est.

C a t u l l u s.

Non istuc satis est uno te dicere verbo,
Sed facere, ut quivis sentiat et videat.

I a n u a.

Qui possum? nemo quaerit nec scire laborat.

C a t u l l u s.

Nos volumus: nobis dicere ne dubita.

I a n u a.

Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
Falsum est. Non illam vir prior attigerat,

se vocatur ille *dulcis*, quia dulci quodam obsequio concessit, quod alias non concedere solent mariti.

3. *benigne*, benigno officio, cum ianua in gratiam senis nondum pateret moechis.

4. *cum sed. ipse sen. tenuit*, cum ipse senex ius domini exercuit.

5. *voto maligno*, improbis, quas moechi apud Caecilii uxorem explerent, libidinibus.

6. *porrecto sene*, mortuo; porrecta enim iacent mortuorum corpora. — *facta marita.* hoc obscure est dictum; ratio grammatica postulat omnino, ut *facta marita* ad ianuam referatur; sed quomodo ianua facta est *marita?* an, quia moechis, tanquam maritis apud uxorem Caecilii, inserviebat? vel quia in eo marita cum marito habitabat?

8. *In dom. veterem*, Balbum. — *deseruisse fidem*, fidem nempe, qua *Ianua benigne* (v. 3.) Balbo servierat, cum nunc *maligno voto* moechorum serviret.

12. **Verum isti* cett. Pentameter post v. 11. casu quodam in vett. Codd. deletus est; facta igitur est lacuna, quam suopte arbitratu explevit *Vossius.* Sed ridiculum est lacunam explere velle ingenio. Nihilominus ego ipse margini Catulli adscripseram: *Fingere sed populus turpia quaeque solet.*

14. *Ianua, culpa tua est*, quia ianua non cuique patere debebat.

16. *Sed facere*, rem disertis verbis declarare ita, ut.

20. *vir*, maritus, *prior*, pri-

Languidior tenera quoi pendens sicula beta,
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam;
Sed pater illius nati violasse cubile
Dicitur et miseram conscelerasse domum,
Sive quod impia mens caeco flagrabat amore,
Seu quod iners sterili semine natus erat,
Et quaerendum unde unde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.

Catullus.

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.

Ianua.

Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia, Cycnaeae supposita speculae,
Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Veronae mater amata meae;
Sed de Posthumio et Corneli narrat amore,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis: Qui tu isthaec, ianua, nosti,
Quoi nunquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare, sed huic suffixa tigillo
Tantum operire soles aut aperire domum?

mus; nam id fecerant adulteri; vel supple ad *prior* aliis.

23. *illius nati*, Caecilii.

26. *iners steril. semine*, destitutus vi mascula vel quibus mares pollent facultatibus.

28. *zonam solv.*, cf. supr. II, 13.

29. *mira pietate parentem*, qui cum filii adeo uxore committit adulterium.

31. 32. *Atqui non solum* cett. atqui Brixia non solum in huius nefandae libidinis notitiam se venisse ait, sed eadem narrat de alio turpi adulterio, quod illa cum Posthumio et Cornelio fecerit. — *Brixia* (nunc *Brescia*) a Livio XXXII, 30. *caput gentis Cenomanorum* appellatur. — *supposita* (subiecta; vocalis *a* nominativi producitur sequentibus litteris *sp*, ut apud Tibull. I, 5, 28. *pro segetē spicas, pro grege ferre dapes*) *speculae* (arci), quae ab eius conditore *Cycno* dicta est *Cycnaea*.

33. *Flavus*, ut *Tiberis*, a flavo aquae colore. — *molli*, leniter fluente. — *Mela*, vel *Mella*, fluvius Galliae Cisalpinae, cuius apud Virgilium quoque fit mentio, Brenno delabens et Brixiam praeterlabens.

34. *Brixia* vocatur *Veronae mater*, vel quod, ut observat *Statius*, *Brixia* urbs esset Verona vetustior, vel quod inde multi coloni Veronam migrassent. Posterius videtur probabilius. Ceterum duos versus 33. 34. ut spurios damnabat *Scipio Maffeius* in libello *de antiqua Veronae conditione*, sed eosdem ut genuinos Catulli versus recte et acriter defendit *Paullus Galeardus*, Italus.

35. Qui fuerint duo adulteri *Posthumius* et *Cornelius*, nolim quaerere cum quaerentibus.

Saepe illam audivi furtiva voce loquentem
Solam cum ancillis haec sua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus, utpote quae mî
Speraret nec linguam esse nec auriculam.
Praeterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

CARMEN LXVIII.

AD MANLIUM.

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,

42. *cum ancillis.* ancillae, uti nunc, ita olim furtivi dominarum amoris tam consciae quam eius conciliatrices esse solebant, cf. Horat. Sat. I, 2, 130.; hinc furtiva dominarum cum ancillis colloquia.

43. *quos diximus*, Posthumium et Cornelium.

46. *ne tollat rubra supercilia*, ne irascatur; irascentes enim frontem corrugant et rubro colore in toto ore suffunduntur.

48. *Fals. mend. v. puerp.* proles, quae non prodiit e ventre, e quo illa prodiisse fingitur; proles supposititia.

CARM. LXVIII.

Quam arcto amicitiae vinculo Catullus cum Manlio (eodem, ut videtur, cuius nuptias Epithalamio celebravit poeta supr. carm. LXI.) coniunctus fuerit, et quam dulcis et integra inter utrumque viguerit familiaritas, id luculenter perspici potest in hoc carmine. Cum Manlius, de sorte quadam, quam expertus esset, tristissima miserrime cruciatus per epistolam rogasset Catullum, ut suavioris argumenti carmine recrearet afflictum Manlii animum: Catullus se ipsum, gravissimo de fratris morte dolore percussum, nunc quidem scribendis carminibus plane imparem esse respondet et declarat. Interim nihil iucundius sibi accidere potuisse ait, quam quod ille in re adversa ad se, tanquam ad spectatae fidei amicum, confugerit, et amicus ab amico doloris levamen petierit. Tum gratissimo animo enarrat, quae et quanta fuerint amicitiae officia, quibus Manlio obstrictus teneatur. Quamvis vero Catullus se dolore de fratris morte oppressum laetiora in Manlii consolationem nunc plane scribere posse negat, tamen ille ad Manlii animum oblectandum et exhilarandum in rerum ad amores spectantium narratione versatur. Postquam igitur de communibus, quos olim coniunctim exercuerint, amoribus locutus est, puellae quoque suae mentionem facit, cuius Veneres comparat cum Laodamiae Veneribus; et sic viam sibi sternit ad Laodamiae fabulam tractandam. Hac ipsa autem tractatione parata est huic carmini summa venustas, summa praestantia. Sed sunt qui, cum veteres poetae re, quam agunt, relicta ad aliam rem cum illa quodammodo cognatam evagantur, eos vituperandos esse censeant. Carpunt sane quod vel maxime laudandum et admirandum erat. Quis enim est, cuius ani-

Naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
  Sublevem et a mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
  Desertum in lecto coelibe perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
  Oblectant, cum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
  Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
  Neu me odisse putes hospitis officium:

mus non mirifice deliniatur, cum legit fabulam de Europa, quam Horatius intexuit Carmini (Od. III, 27.), in quo agit de levitate eorum, qui externa rerum specie sibi imponi patiuntur? Quis est, cuius animus non capiatur longioribus Virgilii digressionibus e. c. de Niso et Euryalo? Talium digressionum excusatio petenda est tam ex carminum indole et natura, quam inde, quod illae lectores suavissime afficiunt. Nec ego dubito, quin causa, ex qua *Muretus* tantis laudibus extollit hanc Catulli Elegiam, repetenda imprimis sit ab arte, qua poeta fabulam Laodamiae enarravit. Apponam ipsa *Mureti* verba: *Pulcherrima omnino haec Elegia est, atque haud scio, an ulla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat. Nam et dictio purissima est, et mira quadam affectuum varietate permista oratio, et tot ubique adspersa verborum ac sententiarum lumina, ut ex hoc uno poemate perspicere liceat, quantum Catullus ceteris in hoc genere omnibus praestare potuerit, si vim ingenii sui ad illud excolendum contulisset.*

1—4. *Quod mihi fortuna* cett. Sensus: Quod tu fortunae et sortis acerbitate misere afflictus mihi mittis epistolium inter lacrimas conscriptum, in quo a me petis hoc, ut ego te quasi naufragum, e mari eiectum, sublevem et ab interitu restituam, te, inquam, quem a perfida puella desertum neque Venus somnum capere sinit, nec veterum poetarum carmina delectant insomnes noctes agentem, id mihi iucundum est ideo, quod hac ipsa petitione summam in amicitia mea ponis fiduciam; sed cett. — *Naufragum. naufragus* dicitur *proprie*, qui naufragio bona sua perdidit; *translate*, qui vel tristi quadam sorte vel sua ipsius culpa bona perdidit; sic Catilinae socii, qui bona sua profuderant, vocantur apud Cic. in Cat. II. cap. 11. *naufragorum eiecta et debilitata manus;* sed *Manlius* ob tristem quendam casum *naufragus* dicitur. — *a mort. lim. restit.*, e summo vitae discrimine servem ac liberem. Imitatus est Catullum, ut iam observavit *Muret.*, Virgilius in Cul. v. 223. *cum te Restitui superis leti iam limine ab ipso.*

5. *Ven. sancta* (ut supr. XXXVI, 3.), sancte colenda; sic Cupido vel Amor *sanctus* supr. LXIV, 95.

6. *coelibe*, vacuo, derelicto.

10. *Mun. Mus. et Veneris. munera Musarum*, carmina, quibus Musae adspirant; *Veneris*, quibus Venus adspirat; carmina docta et amatoria. — *hinc*, a me.

12. *Neu me odisse putes* cett. neu putes me negligere officia, quae hospes exigere potest ab hospite; fuit igitur Catullus hospes quoque Manlii.

Accipe, queis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Iucundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quae dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. O misero frater ademte mihi!
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater;
Tecum una tota est nostra sepulta domus;
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Quoius ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis: *Veronae turpe Catullo*
Esse, quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefecit membra cubili:
Id, Manli, non est turpe, magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus; illa domus,

13. *mers. fort. fluct.* — *fluctus* de rebus et curis, quibus animus huc illuc impellitur, fluctuat. Lucret. VI, 33. *Volvere curarum tristes in pectore f l u c t u s.* Hor. Epist. II, 2, 85. *F l u c t i b u s in mediis et tempestatibus urbis.* Similiter *undae*, Horat. Epist. I, 1, 16. *et m e r s o r civilibus u n d i s.*

14. *dona beata*, carmina, quae pangere et offerre tantum possunt beatiores, h. e. curis soluti, non ii, quorum animos, ut me, turbat et lacerat dolor et moestitia.

17. *Multa satis lusi.* refer ad carmina ludicra, iocosa, amatoria.

18. *Quae dulcem curis m. amar.* Venus; vid. supr. ad LXIV, 94. 5.

21. *fregisti commoda*, significanter pro: abstulisti; inest enim voci *frangere* notio violentiae, vi aliquid comminuere, evertere.

24. *Quae tuus* cett. quae dulcis tuus erga me amor vitae meae percipienda dedit. *Eldickius* cum hoc loco comparat Euripid. Alcest. v. 345. *Σὺ γάρ μου τέρψιν ἐξεί-λου βίον.*

27—30. *Quare, quod scrib.* cett. Sensus: Quare, quod tu scribis, turpe esse mihi, procul a puella mea Veronae commoranti, quod *(hic)* Romae unusquisque, honore aliquo vel dignitate conspicuus, in cubili a me deserto apud puellam meam delicias facere soleat, id, Manli, miserum magis quam turpe est. — *quisquis*, pro: quivis, quilibet, unusquisque, ut passim apud Ciceronem; vid. *Forcellin. Lex.* — *de meliore nota*, conditione, aestimatione. — *tepefecit*, tepefacere solet. — *magis miserum*, ob summum de fratris morte dolorem.

31—35. *Ignosces igitur* cett. Manlius rogaverat Catullum, ut

Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas;
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
Id facere aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est;
Ultro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, Deae, qua Manlius in re
Iuverit, aut quantis iuverit officiis;
Ne fugiens seclis obliviscentibus aetas
Illius hoc caeca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. Vos porro dicite multis
Millibus et facite haec charta loquatur anus.
* * *
Notescatque magis mortuus atque magis;

ille sibi ad dolorem, quo cruciaretur, leniendum aut carmen a se ipso compositum, aut aliorum poetarum carmina mitteret. Scribit igitur Catullus: Ignosce mihi, quod utriusque petiti copiam tibi facere non possum: nam ego ipse ob gravissimum de fratris mei morte dolorem carmen aliquod componere non valeo; aliorum autem poetarum carmina mihi nunc Veronae viventi non ad manus sunt.

36. *Huc una ex mult.* cett. Olim enim, ut nunc, viri docti et poetae, cum animi causa rusticatum irent, tanquam bonos comites se sequi iubebant libros quosdam, in arcula vel cistula vel fasciculo stipatos. Sic Horatius se in villam secedentem Platonem, Menandrum, Eupolin et Archilochum, tantos comites, secum eduxisse ipse narrat Sat. II, 3, 11. 12.

37. *Quod cum ita sit.* utitur iam Catullus oratorum formula.

39. *utriusque pet.* petierat Manlius a Catullo (v. 10.) *munera* (carmina) *Musarum et munera Veneris.*

40. *copia si qua foret*, pro vulgari: si possem, si facultatem canendi non expulisset dolor.

41. *Non poss. ret. Deae*, Musae. iam opportune Catullus, ne ingrati animi suspicionem moveat, in animum revocat ea, quae Manlii amicitiae et amori accepta referat.

43. *Ne fugiens* cett. observa ornatum simplicis sententiae: ne hoc Manlii, quo ille tantopere de me meruit, studium oblivioni tradatur. *Secla* vere et graviter dicuntur *obliviscentia*, quia memoria rerum, quae non scriptis vel carminibus celebrantur, fugientis temporis cursu deletur.

45. 46. *Sed dic. vobis* cett. poeta partes, quas semet ipsum sustinere posse diffidit, Musis delegat, dum rem ad posteros carmine propagandam suppeditat. — *charta* (carmen chartae mandatum), per longum tempus, quo illa lectorum manibus trita est, senectutem quasi nacta, lepide dicitur *anus;* et sic adiective *fama* infr. LXXVII, 10. dicitur *anus.* Plin. XVII, 5. *terra anus.* *Valckenario* ad Eurip. Phoeniss. v. 103. Catullus hoc expressisse videtur ex Fragm. Aeschyl. *ὡς λέγει γέρον γράμμα.*

* * * Haec lacuna casu quodam absumti hexametri satis inepte in quibusdam Codd expleta est sic: *omnibus et triviis vulgetur fabula passim;* non sermo enim est de re fabulosa in triviis vulganda. Melius in quibusdam aliis Codd. *Omni-*

Ne tenuem texens sublimis aranea telam
    Deserto in Manlî nomine opus faciat.
Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
    Scitis, et in quo me corruerit genere,
Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
    Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis;
Moesta neque assiduo tabescere lumina fletu
    Cessarent, tristique imbre madere genae,
Qualis in aerii pellucens vertice montis
    Rivus muscoso prosilit e lapide;
Qui cum de prona praeceps est valle volutus,
    Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
    Cum gravis exustos aestus hiulcat agros;

bus inque locis celebretur fama sepulti; sed friget quoque in hoc versu *omnibus in locis.* Equidem, licet inani studio, rei tamen et orationi convenienter, feci hunc hexametrum: *Ut, qualis fuerit, dum vixit, carmina narrent.*

49. *Ne tenuem texens* cett. vulgarem sententiam: ne Manlii nomen obsolescat, oblivione obtegatur et obscuretur, expressit imagine aranearum, quae loca deserta et obsoleta telis ibi suspensis obscurant et squalida reddunt. — *sublimis.* ita dicitur aranea a locis sublimioribus, ubi illa opus suum (texturam) facit.

51. *duplex Amathusia.* Venus *Amathusia* (a Cypri urbe *Amathunte*, ubi illa colebatur) iam paulo obscurius *duplex* appellatur; Catullus aut unum puerum et unam puellam, aut duas puellas simul amasse videtur.

52. *in quo genere*, sc. aestus ardentissimi vel amoris vehementissimi. Pro *corruerit* exhibent Codd. quidam apud *Santenium: torruerit.* Equidem olim tentabam: *contuderit.* Sed non opus est emendatione aliqua; *corruere* active est positum pro prosternere, pessumdare; exempla dabit *Forcellinus.*

53. *Trinacria rupes*, mons ignivomus Aetna in Sicilia. Cum igni Aetnaeo ab aliis quoque poetis comparari solet ardentissimi amoris aestus. Ovid. Remed. Amor. 491. *Quamvis infelix media torreberis Aetna; Frigidior glacie fac videare tuae.* Ardentem frigidus Aetnam insiluit

54. *Lymphaque in Oetaeis* cett. et quantum ardent aquae calidae in Oetaeis Thermopylis; haec aqua dicitur *Malia* ab adiacente regione Maliensi, quae sinum (Maliensem) orientem versus habet; vid. *Santen.* ad h. l.

57—66. *Qualis in aerii* cett. hanc suavissimam lassi viatoris aquam e praetereunte rivo bibentis, vel aurae secundae in naufragii periculo versantibus adspirantis comparationem non cum *Mureto* et aliis ad lacrimarum imbrem, sed ad dulcedinem illam, quam Catullus in amorum suorum gratiam ex Manlii opera et studio perceperit, referendam esse satis, puto, manifestum est.

60. *Per medium iter densi populi*, per mediam viam, quam frequentat populus.

61. *Dulce viatori* cett. Virgil. Eclog. V, 47. *quale per aestum Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo. Eldickius* bene comparat

Ac veluti nigro iactatis turbine nautis
    Lenius adspirans aura secunda venit,
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata:
    Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
    Isque domum nobis, isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores,
    Quo mea se molli candida Diva pede
Intulit, et trito fulgentem in limine plantam
    Innixa arguta constitit in solea;
Coniugis ut quondam flagrans advenit amore
    Protesilaëam Laodamia domum

Anyt. VII, 3. in *Iacobsii* Anth. Gr. I. p. 131. *Πίδακά τ᾽ ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις Ἄμπαυμ᾽ ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον.* Similiter Oppian. Cyneg. II, 39. *Ψυχρὸν δ᾽ ἐξ ἄντροιο προχεύμενον ἄργυφον ὕδωρ, Οἷον κεκμηκῶσι ποτὸν γλυκερόν τε λοετρόν.*

65. *implorata.* refer in nominativo ad *aura secunda;* sed non ipsa aura, sed aurae secundae, ut ita dicam, datores *implorantur.* Hinc vox *implorata* a pluribus interpretibus vario, sed parum probabili, modo in aliam vocem mutata est. — *Castor* et *Pollux*, ut dii σωτῆρες, propitii sunt navigantibus; cf. supr IV, 27.

66. *Tale auxilium*, pro: tali auxilio; in hanc sententiam comparat *Vulpius* Euripid. Orest. v. 725.

67. 68. *Is clausum* cett. Is mihi ad puellam meam aperuit viam ante interclusam, et in ipsius domo mihi dominae meae fecit copiam.

69. *communes*, satis familiariter!

70. *Quo*, in domum Manlii. — *molli pede*, molliter et delicate posito, qui, ut v. 72. dicitur, *constitit in solea arguta*, h. e. in solea exigua, exiguo et molli pedi bene aptata. Sic exiguum generosi equi caput apud Virg. Georg. III, 80. dicitur *argutum.*

71. *fulgentem*, conspicuam apta et concinna forma.

72. *solea.* de soleis, mulierum et virorum, qui venusti videri volebant, calceis, vide *Balduinum* de *Calceo antiquo* cap. XI.

73 seqq. *Coniugis ut* cett. Quod saepe in comparationibus fieri solet, ut pars tantum comparationis in rem comparatam transferenda sit, id valet quoque de comparato Catulli puellae ingressu in domum Manlii cum Laodamiae, amore flagrantis et venustate exsplendescentis, in domum Protesilai ingressu. Ipse enim nuptiarum Laodamiae cum Protesilao eventus fuit infaustus. Laodamiae fabulam suaviter *Muretus*, ut solet, enarravit sic: „*Laodamia uxor Protesilai fuit, quae cum maritum suum primum ex omnibus Graecis in bello Troiano ab Hectore interfectum esse audivisset, nimio illius desiderio contabuit. Sunt qui dicant viri umbram ei se in somnis obtulisse, inque illius complexibus ipsam emortuam. Alii, obtinuisse Protesilaum, ut ex inferis ad uxorem visendam reverteretur; cumque eam reperisset adiacentem imagunculae, qua viri mortui vultum exprimendum curaverat, petiisse, ut ne sibi amplius superstes esse vellet; tum ipsam, acta per pectus hasta, sibi mortem attulisse. Quod autem tam brevi tempore marito suo frui ipsi licuerit, Catullus deorum iram in causa fuisse dicit, quibus ante nuptias sacra rite perpetrata*

Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia coelestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro,
Coniugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rursus hiems
Noctibus in longis avidum saturasset amorem,
Posset ut abrupto vivere coniugio;
Quod scibant Parcae non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
Coeperat ad sese Troia ciere viros,
Troia nefas, commune sepulcrum Europae Asiaeque,
Troia virùm et virtutum omnium acerba cinis;
Quae nempe et nostro letum miserabile fratri
Attulit: hei misero frater ademte mihi!

non forent." Cf. Lucian. DD. M. XXIII. Ovid. Heroid. XIII. et Hygin. Fab. CIII. et CIV. — *domum Inceptam frustra*, inauspicatam: frustra enim coniugium, cum illud inciperent Protesilaus et Laodamia, felix faustumque fore speraverant; additur causa, quod sponsus et sponsa neglexissent sacra, rite ante nuptias instituenda, προγάμεια, γαμήλια, προτέλεια; vid. *Ruhnk.* ad Timae. s. v. προτέλεια. *Domus frustra incepta* vocatur Homer. Iliad. II, 701. δόμος ἡμιτελής, Valerio Flacco VI, 689. *domus imperfecta.*

76. *pacificasset*, mites et propitios reddidisset, *heros coelestes*, deos, qui v. 78. simpliciter *heri* vocantur.

77. *Rhamnusia virgo*, o Nemesis, quae male et impie facta ulcisceris; cf. supr. ad LXIV, 396.

78. *Quod temere* cett. Gravissima illa sententia: *Omnia cum deo, nil sine deo*, passim a veteribus scriptoribus proposita reperitur; vid. *Cerd.* ad illud Virgilii (Aen. II, 402.): *Heu! nihil invitis fas quemquam fidere divis.*

79. 80. *Quam ieiuna* cett. vide, quam eleganter expresserit poeta sententiam hanc: Quam grata et iucunda diis sit hostia in eorum honorem mactata, experta est Laodamia, cum illa novo marito, quia deos neglexerat, mature privaretur.

84. *Posset ut abrupto* cett. ut exsaturata amoris deliciis, coniugii vinculo mariti morte rupto (pro vulgari: sine marito), vivere posset.

85. *Quod scibant* cett. Sensus: Quod quidem triste fatum Laodamiae, si Protesilaus in bellum Troianum profectus esset, post breve tempus imminere (scilicet, ut vix incepti coniugii vinculum rumperetur,) probe tenebant Parcae, fatorum moderatrices.

87. *primores Argivorum.* supr. LXIV, 4. *lecti iuvenes, Argivae robora pubis.*

89. *Troia nefas*, nefanda, abominabilis; *nefas Helena* Virg. Aen. II, 585. *nefas Cleopatra* Virg. Aen. VIII, 688.

91. *Quae nempe et.* vix ferri potest ratio, qua per particulas *nempe et* connectitur oratio poeti-

Hei misero fratri iucundum lumen ademtum:
Tecum una tota est nostra sepulta domus;
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troia obscena, Troia infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
Graeca penetrales deseruisse focos,
Ne Paris abducta gavisus libera moecha
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius atque anima
Coniugium: tanto te absorbens vortice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum,
Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum
Siccare emulsa pingue palude solum;

ca; et tamen haec lectio praeferenda videtur multo ineptioribus lectionibus, quas plures interpretes protulerunt; vid. *Sillig*. Equidem puto multo lenius certe et aptius fluere orationem, si pro *nempe* et mecum legeris: *pariter;* Troia, quae pariter fratri dulcissimo *(attulit)* contraxit mortem, in qua terra pariter ossa amatissimi fratris sepulta iacent. — *cinis*, ut passim, in genere feminino. — *acerba*, ut *mors acerba*.

93. *lumen* pro: vita. Lucret. III, 1047. *Lumine ademto animam moribundo corpore fudit.* — Quo mortis genere Catulli frater in terra Troiana perierit, nescimus.

96. *alebat*, eleganter pro: parabat, praebebat. *Amor* alit gaudia, dum materiem gaudendi suggerit vel suppeditat.

98. *compositum*, sepultum. *Componi* (συστέλλεσθαι) dicuntur mortui, cum fiunt omnia, quae solemnis mortuos sepeliendi ritus exigit. Horat. Sat. I, 9, 28. *Omnes composui*, sepeliendos curavi.

99. *Troia obscena. obscena* dicuntur, quae aversamur et exhorrescimus. Sic *navis*, qua vehebatur Helena, exsecrabilis illa Troianis mulier, dicitur *obscena* apud Ovid. Heroid. V, 119. 120. *Dum licet, obscenam ponto, Di, mergite puppim; Heu quantum Phrygii sanguinis illa vehit.*

104. *pacato*, non turbato et impugnato a Graecis hostiliter raptam Helenam repetentibus.

105. *Quo tibi tum casu*, nempe cum bello, ad quod Graeca pubes undique concurrerat, Troia peteretur.

107 seqq. *Coniugium*, coniux Protesilaus; *coniugium* pro *coniuge*, ut *servitium* pro servo. Virg. Aen. II, 579. *Coniugiumque domumque, patres natosque videbit.* — In sequentibus Laodamia tanta amoris erga Protesilaum voragine quasi absorpta fuisse dicitur, quanta patuerit illud barathrum, ad aquas paludosas prope Pheneum Cylleneum in illud deducendas ab Hercule effossum. *Profundus* igitur Laodamiae *amor* (βαθὺς ἔρως) expressus est ima-

Quod quondam caesis montis fodisse medullis
Audit falsiparens Amphitryoniades,
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit imperio deterioris heri,
Pluribus ut coeli tereretur ianua Divis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Qui tunc te indomitam ferre iugum docuit.
Nam neque tam carum confecto aetate parenti
Una caput seri gnata nepotis alit,

gine barathri profundissimi. *Graii (ferunt)* narrant *barathrum prope Pheneum Cylleneum* (urbem Arcadiae in monte Cyllene sitam) *solum pingue* (abundans paludibus) *siccare* (exsiccare, purgare) *emulsa palude* (absorptis paludosis aquis).

111. 112. *caesis montis medullis*, excisis montis visceribus, paulo sublimius pro: effossa interiore montis terra. — *audit*, dicitur, *falsiparens*, verus enim Herculis pater in fabulis est Iupiter, *falsus* Amphitruo. Vide de hac opera in barathro illo fodiendo et excidendo ab Hercule collocata Pausan. in Arcad. VIII, 14.

113. *Stymphalia monstra*, aves istae foedae et monstrosae, quae sedem suam habebant in Stymphalo, Arcadiae palude, et quidem tanta copia, ut solem obumbrarent, tandem, cum tam agros illius regionis popularentur, quam incolas pennis tanquam spiculis in eos demissis misere vexarent, ab Hercule, cui e deterioris heri, Eurysthei, imperio hoc negotium iniunctum est, telis petitae et occisae sunt. Vid. Hygini Fab. XX. et XXX. et laudatos ibi ab interpretibus scriptores. — *sagitta certa*, a scopo non aberrante. Horat. Od. I, 12, 23. *nec te* (silebo), *metuende c e r t a Phoebe sagitta.*

114. *deter. her.* de fatali necessitate, qua Eurysthei imperio parere debebat Hercules, vid. Hom. Iliad. XIX, 98 seqq. *Χείρων φώς* ab ipso Hercule vocatur Eurystheus Odyss. XI, 621.

115. *Pluribus ut* cett. ut numerus deorum per Herculem in coelo augeretur, et Hebe, ne fieret virgo vetula, connubio iungeretur cum Hercule inter deos recepto.

117. 118. *Sed tuus* cett. Sensus: Sed profundus tuus, Laodamia, amor, quo in pectore profundo amare coepisti Protesilaum, profundior fuit barathro illo, ab Hercule exciso, qui (profundus amor) docuit *tunc*, cum ita amares, *te indomitam*, nondum domitam et assuefactam ferendo iugo maritali (quod coniunctim ferunt maritus et uxor, qui inde dicuntur *coniuges, σύζυγες*), hoc iugum ferre. — *indomita*, similiter Hor. Od. II, 5, 1. quae *Nondum subacta ferre iugum valet Cervice.* Apud Hom. Od. VI, 109. et 228. *παρθένος ἀδμής.* — Ante *indomitam* inserui pronomen *te*, quod iam ab aliis factum est; vid. *Var. Lect.* apud *Sillig.*

119—128. *Nam neque* cett. Oratio cohaeret sic: Nam neque grandaevus avus tam molli amore complectitur nepotem, ex unica filia sibi natum unicum haeredem bonorum, quibus iam imminebant haereditatum captatores avidissimi; neque columba tam vehementer amat et deosculatur columbum (ut tu, Laodamia, amas Protesilaum): *(sed)* imo tu, Laodamia, mollissimo amore tam senem grandaevum, quam columbam superasti. *Statius* cum Ca-

Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
    Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
    Suscitat a cano vulturium capite;
Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo
    Compar, quae multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro,
    Quamquam praecipue multivola est mulier.
Sed tu horum magnos vicisti sola furores,
    Ut semel es flavo conciliata viro.
Aut nihil aut paulo quoi tum concedere digna,
    Lux mea se nostrum contulit in gremium,
Quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido
    Fulgebat crocina candidus in tunica.

tullo comparat Pindar. Olymp. X, 102 seqq. — *caput seri nepotis*, serum, τηλύγετον nepotem; *caput* inservit periphrasi. — *alit*, fovet et educandum curat.

122 123. *Nom. test. int. in tabul. nomen vel nomina haeredis vel haeredum inferre in testatas tabulas* est: nomen haeredis referre in testamenti codicillos, haeredem vel haeredes scribere et constituere in testamento. — *Impia der. gent. gaudia tollens*, spem, quam gentilis aliquis de bonorum haereditate susceperat, *(tollens)* irritam reddens. — *gentilis*, e gente alicuius natus et propinquitate cum eo coniunctus. — *gaudia* de sperata haereditate dicuntur *impia*, quia gentilis *impio animo* optaverat, ut bonorum domino deesset haeres germanus et legitimus.

124. *Suscitat vulturium a can. cap.* haeredipetam, manibus tanquam vulturis unguibus in bona haereditate accipienda involantem, *(suscitat)* abigit *(a cano capite)* a sene grandaevo.

126. 127. *improbius*, impensius, multo maiorem in modum. — *Oscula decerpere.* columbae *semper* de columbi rostro oscula decerpenti amor tribuitur ferventior; facete Martialis de Phyllide XII. Epigr. 65. v. 7. *Amplexa collum basioque tam longo Blandita, quam sunt nuptiae columbarum.* cf. eundem XI, 104, 9.

129. *Sed*, imo; ut apud Graecos οὐδὲ — οὐδὲ — ἀλλά (imo). Sic, ut uno exemplo defungar, Homer. Iliad. VI, 417 seq. — *magnos furores*, intellige fervidissimum amorem, quo tanquam furore agitantur misere amantes.

130. *flavo*, pulchro; cf. supr. LXIV, 98.

131. *Aut nihil* cett. iam redit poeta a longiore digressione, sive ab instituta puellae suae cum Laodamia comparatione. Sensus: A qua quidem Laodamia lux mea aut nihil aut paulo discrepat, cum illa venit in nostrum gremium, pro vulgari: cui Laodamiae lux mea est simillima, vel: talis est mea lux, cum illa venit cett. Sed verborum tam significatio, quam collocatio est paulo durior et obscurior. — *Aut nihil aut paulo concedere digna*, h. e. digna, quae aut nihil aut paulo concedat (cedat, postponatur) Laodamiae.

133. *Quam circumcursans* cett. apud Horat. Od. I, 2, 34. *Cupido* Venerem *circumvolare* dicitur; scilicet Dii Deaeque eos, quibus favent, vel quibus praesto adsunt suo praesidio, *circumcursare* vel *circumvolare* dicuntur.

134. *crocina. crocinus* et *croceus* de colore, qui quodammodo

Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundae furta feremus herae,
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Saepe etiam Iuno, maxima Coelicolùm,
Coniugis in culpa flagravit quotidiana,
Noscens omnivoli plurima furta Iovis.
Atqui nec Divis homines componier aequum est;
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum,
Sed furtiva dedit mira munuscula nocte,
Ipsius ex ipso demta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unus,
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis,
Ne vostrum scabra tangat robigine nomen
Haec atque illa dies, atque alia atque alia.

cum colore flavo, luteo, aureo et rubescente permixtus est; nos: *goldgelb*. — *candidus*, pulchre conspiciendus; *candidus* de externo nitore et splendore, quo dii oculos se adspicientium percutiunt vel praestringunt.

136. *verecundae*, non modum in furtivo amore excedentis.

137—142. *Ne nimium* cett. Hic locus paulo obscurior, qui valde exercuit interpretum ingenia, mihi explicandus videtur sic: Catullus, qui modo professus est se *rara* dominae suae furta ferre velle, nunc alios quoque monet, ne puellis ob *rara* earum furta molestiam creent; ipsi enim Iunoni non *rara*, sed *quotidiana* adeo coniugis Iovis furta ferenda fuisse, ob quae illa exarserit, nec ea, quae fiant a diis, comparanda esse cum illis, quae faciant homines; tum repetit Catullus, quae iam monuit, his verbis: *Ingratum tremuli tolle parentis onus*, h. e. depone molestiam illam et severitatem, qua (*tremuli*) grandaevi patres furtivos filiarum amores insectantur et persequuntur. — *flagravit*, supple: ira; *flagrare* dicuntur qui graviore animi commotione fervent, flagrant, inflammantur. Ceterum exempla irae acerrimae, quam Iuno in omnivoli Iovis pellices effuderit, satis nota sunt.

143. 144. *Nec tamen* cett. Ornate pro: Nec illa mihi est uxor solemni more patris dextra deducta in domum meam, iucundissimis odoribus permulsam. Peccabant enim gravius, qui maritati libidinis fructum aliunde petitum ibant.

145. *mira*, mirum in modum dulci et iucunda.

146. *Ipsius ex ipso*. vox *ipse* levitatis erga maritum augendae gratia geminata est.

147. *Quare illud satis est* cett. Quare iam id mihi satis est, si illa vel unum diem, quem mecum vixit, ut diem faustum felicemque albo lapillo insigniat.

149. *confectum carmine munus*, munus constans in hoc carmine a me confecto.

151. *Ne vostr. scabra* cett. quod supr. v. 49. facere dicitur *aranea*,

Huc addent Divi quam plurima, quae Themis olim
 Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices et tu simul et tua vita,
 Et domus ipsa, in qua lusimus, et domina,
Et qui principio nobis te tradidit, a quo
 Sunt primo nobis omnia nata bona,
Et longe ante omnes mihi quae me carior ipso est,
 Lux mea, qua viva vivere dulce mihi est.

CARMEN LXIX.

AD RUFUM.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
 Rufe, velit tenerum supposuisse femur;
Non ullam rarae labefactes munere vestis
 Aut pelluciduli deliciis lapidis.
Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
 Valle sub alarum trux habitare caper.

scilicet rem aliquam textura sua obducere et obscurare, id tribuitur nunc ferri robigini, quod quidem contractum ferro vitium ad alia, quae per longum tempus obscurantur et corrumpuntur, transfertur. Virgilio quoque Georg. I, 495. et Ovidio Epist. ex Ponto I, 1, 71. *scabra* dicitur *robigo.*

155. *tua vita*, quam tu amas vita tibi cariorem.

157. 158. *Et qui principio* cett. et is, qui primum tuam mihi conciliavit amicitiam. Ceterum, quod olim suspicatus sum, hoc totum distichon ob nimiam eius ieiunitatem ab homine quodam nimis sedulo intrusum esse, id assensu suo comprobavit Cl. *Silligius.* Huc accedit mira in librr. tam scriptis quam excusis lectionum varietas.

CARM. LXIX.

Desinere Rufum iubet poeta mirari, quid sit quod nulla puellarum, apud quas ille cupiat delicias facere, eum admittat. In causa esse ait Catullus abominabilem ex alis eius vel axillis brachiorum emissum foetorem, qui omnes ei appropinquantes abigat.— Quis fuerit *Rufus*, malo cum ignorantibus ignorare, quam cum quibusdam de nobilissimo oratore *M. Coelio Rufo* cogitare.

3. *vestis rarae*, fortasse bombycinae vel Coae vel Sericae. — *labefactes. labefactare aliquem muneribus* eleganter de eo, qui emolliendo alicuius duro et repugnanti animo tamdiu insistit, donec ille muneribus victus cedit precibus.

5. 6. *Laed. te quaed. m. fab.* obest tibi dispersus quidam inter homines malus rumor. — *qua tibi fertur Valle s. al. tr. hab. caper.* pestifer iste foetor, qui ex brachiorum alis vel axillis diffunditur, ab hirci graveolentia dicitur *hircus, caper, τράγος*; cf. infr. LXXI, 1. et Horat. Epod. XII, 5. — *trux*, accommodate ad trucem vel torvum *capri* (in sensu proprio) vultum vel faciem, ut v. 9. *interfice* pro: pelle, exstingue.

Hunc metuunt omnes; neque mirum; nam mala valde est
Bestia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
Aut admirari desine, cur fugiant.

CARMEN LXX.

DE INCONSTANTIA FEMINEI AMORIS.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi, non si se Iupiter ipse petat.
Dicit; sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento et rapida scribere oportet aqua.

CARMEN LXXI.

AD VIRRONEM.

Si quoi, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat:

10. Pro *fugiunt* dedi *fugiant*, quod postulat ratio grammatica, ut iam vidit *N. Heinsius*.

CARM. LXX.

Catullus, a muliere quadam in amore elusus, de mulierum levitate in universum queritur. — At mulieres vicissim de virorum perfidia et inconstantia querelas fundere solent, ut supr. Ariadne LXIV, 143. 44. *Iam iam nulla viro iuranti femina credat, Nulla viri speret sermones esse fideles.*

2. *petat. petere* (ut apud Graecos *αἰτεῖν*) proprie de iis, qui amoris vel coniugii conditionem offerunt, sive de procis proprie. Virg. Aen. VII, 54. *Multi illam magno e Latio totaque petebant Ausonia*, ubi plura exempla dabit *Cerdanus*.

3. 4. *Dicit* cett. dicit id quidem, sed quod dicit mulier cett. — *in vento et aqua scribere.* Sic *παροιμιακῶς* apud Graecos (Lucian. Catapl. 21. T. I. p. 643.) *καθ' ὕδατος γράφειν* de rebus, quae fieri nequeunt; si quis igitur postulet, ut fiant quae amantes promittunt amantibus, is *scribit in aqua*, is postulat aliquid, quod fieri nequit. Scholiast. ad laudatum locum Luciani: *τὸ γὰρ καθ' ὕδατος γράφειν ἀδύνατον.* Similiter fere apud Graecos *ὅρκον εἰς οἶνον γράφειν.*

CARM. LXXI.

Hoc poematium non scatet tantum pudenda obscenitate, qua plura carmina contaminavit poeta lascivior, sed laborat quoque obscuritate, quae pellenda mihi videtur hoc fere modo: Exagitat poeta Virronem quendam, tam pessimum ex alis foetorem emittentem, quam podagra laborantem. „Si quis est, ait, qui, sicut tu, intolerabili hirci sub alis odore se abominabilem reddit, aut misere vexatur podagra, iste, tui aemulus, qui amorem, quem vos ambo sectamini, exercet, mirifice utrumque malum a te (per contagionem) accepit."

1. 2 *quoi* (ut supr. Carm. I, 1.) *bono.* non raro apud optimos quosque scriptores, praecipue apud Comicos, homo nequam per ironiam dicitur *bonus*; addi nonnunquam solet: *si diis placet.* — *sacer*, ex-

Aemulus iste tuus, qui vostrum exercet amorem,
  Mirifice est a te nactus utrumque malum.
Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos:
  Illam affligit odore, ipse perit podagra.

CARMEN LXXII.

AD LESBIAM.

Dicebas quondam solum te nosse Catullum,
  Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.
Dilexi tum te, non tantum ut volgus amicam,
  Sed pater ut gnatos diligit et generos.
Nunc te cognovi. Quare, etsi impensius uror,
  Multo mî tamen es vilior et levior.
Qui potis est? inquis. Quod amantem iniuria talis
  Cogit amare magis, sed bene velle minus.

secrabilis; cf. supr. ad XIV, 12. — *obstitit*, causa contemtus et taedii exstitit. — *alarum hircus*, cf. supr. ad LXIX, 6. — *merito*, quia sua cuiusque culpa, intemperantia scilicet, podagra contrahitur. — *tarda*, significanter, quia podagra alumnos suos tarde incedere et pedes circumspecte movere et ponere iubet. — *secat*, quasi pes vel pollex pedis crebris perfodiatur ictibus; accommodate igitur ad naturam podagrae. Imitatus est Catullum Martialis IX. Epigr. XCIII, 10. 11. *podagra chiragraque s e c a t u r Caius, et mallet verbera mille pati.*

4. *est nactus.* Corn. Nep. Attic. c. 21. *nactus est morbum.*

6. *Illam*, puellam.

CARM. LXXII.

Cum Lesbia, quae tanto amore se Catullum deperire professa erat, ut eum non solum aliis omnibus amatoribus, sed ipsi adeo Iovi praelaturam se esse diceret, nunc fidem, quam dederat, laesisset, Catullus tam graviter affectus et exacerbatus est, ut eam, etsi impensius uratur, ut vilem et levem puellam se contemnere profiteatur.

1. *nosse*, sc. ut eum, quem amares, pro vulgari: te unum et solum Catullum amare.

2. *prae me*, priorem me, mihi praelatum. — *tenere*, sc. amore; supr. LXIV, 28. *Tene Thetis t e n u i t?*

3. *Dilexi. diligere* significantius quam *amare; diligere* aliquem dicitur, qui eum ob cognitas virtutes veneratur; *amare*, qui externa tantum eius specie captus est. Hinc illud: *non solum te amo, sed etiam diligo.*

5. *Nunc te cognovi*, quam fallax et perfida tu esses, experientia edoctus sum. Haec culpa perfidiae, qua Lesbia alium Catullo in amore praetulisse videtur, vocatur v. 7. *iniuria.* — *impensius uror*, ut Phaedria apud Terentium Eunuch. I, 1, 25. *o indignum facinus, nunc ego et Illam scelestam esse, et me miserum sentio: Et taedet, et amore ardeo.* Claud. Fescenn. v. 110. *Accenditque magis, quae refugit, Venus.* In eandem sententiam Silentiarius in Anthol. Gr. ed. Iacobs. T. IV p. 49.

Ὕβρις ἔρωτας ἔλυσε. μάτην ὅδε μῦθος ἀλᾶται.
Ὕβρις ἐμὴν ἐρέθει μᾶλλον ἐρωμανίην.

CARMEN LXXIII.

IN INGRATUM.

Desine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata; nihil fecisse benigne est;
Immo etiam taedet, taedet obestque magis,
Ut mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

CARMEN LXXIV.

IN GELLIUM.

Gellius audierat patruum obiurgare solere,
Si quis delicias diceret aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, et patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit; nam, quamvis inrumet ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

CARM. LXXIII.

Bilem Catullo movit homo quidam, qui eum, cuius iste unum atque unicum amicum se professus est, turpissime vexasse, turbasse et quovis malitiae genere petiisse dicitur. Itaque Catullus istum ingratissimi animi hominem omnium in hoc poematio despectui exposuit simulque in universum de communi ingrati animi turpitudine et vitio misere questus est. Nomen ipsum ingrati hominis, quem carpit, reticuit quidem poeta, sed non aliena a probabilitate esse videtur opinio eorum, qui Catullum respexisse suspicantur *Alphenum Varum Iurisconsultum*, quem ille simillime descriptum dedit supr. Carm. XXX.

2. *pium*, pia h. e. grata mente recolentem benefacta, gratum. Ovid. Trist. V, 4, 43. *Pro quibus adfirmat fore se memoremque p i u m que, Sive diem videat, sive tegatur humo.*

3. *nihil fec. ben. est*, benigne aliquid fecisse, id *(nihil est)* pro nihilo habetur.

4. 5. *taed. obestq. m.* contemtim accipitur, et nocet magis et fraudi est, sicuti mihi. — *urget*, premit et vexat. Ceterum querela de ingrati animi hominibus est antiquissima. Homer. Odyss. IV, 694. 695. *Ἀλλ' ὁ μὲν ὑμέτερος θυμὸς καὶ ἀεικέα ἔργα Φαίνεται, οὐδέ τίς ἐστι χάρις μετόπισθ' εὐεργέων.*

CARM. LXXIV.

Poeta narrat, quomodo Gellius molestis patrui obiurgationibus silentium imposuerit. — Sunt qui per *Gellium* designari putent eundem, quem Cicero in Oratione pro Sextio perstrinxerit.

1. *patruum*. homines rixosi et obiurgatores dicebantur *patrui*, quia fratrum liberis praecipue timenda erant *patruae linguae* (ut Horat. loquitur, Od. III, 12, 3.) *verbera*. Idem Horatius Sat. II, 3, 88. *ne sis patruus mihi*, ne sis mihi severus reprehensor. vid. *Drakenb.* ad Sil. Ital. XV, 10.

4. *Harpocratem*, silentem et linguam ab omni rixandi consuetudine compescentem. *Harpocra-*

CARMEN LXXV.

AD LESBIAM.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
    Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.
Nulla fides ullo fuit unquam foedere tanta,
    Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.
Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa,
    Atque ita se officio perdidit ipsa suo,
Ut iam nec bene velle queam tibi, si optima fias,
    Nec desistere amare, omnia si facias.

tes est deus silentii, quod digito ori admoto significatur. Cf. *Cuperi* Harp. p. 24., quo loco Epigr. Catullianum illustratur.

CARM. LXXV.

Scriptum est hoc poematium eodem tempore et eadem de causa, qua Carmen LXXII. Lesbiae scilicet erga Catullum amor frigere coeperat, sive quod alius quidam amator apud eam nunc erat potior, sive quod illa imminuti amoris simulatione urere et sollicitare volebat Catulli animom. Quo ardentius autem Catullus Lesbiam amabat, ut declarat his versibus, eo gravior de mutato Lesbiae animo eius fuit dolor. — Profitetur Catullus se Lesbiam, licet ab ea, ut supr. Carm. LXXII, 7. dicit, affectus sit *iniuria*, amare nunquam desiturum esse. — Habemus igitur exemplum, quo Catullus unam eandemque rem gemino carmine expressit, sive id factum sit uno eodemque, sive diverso tempore, sed ob unam eandemque zelotypiam. — In hoc carmine sicut in aliis saepius contra auctoritatem Codd. ab interpretibus, nominatim a *Scaligero*, facta est versuum ex uno carmine in aliud traiectio.

3. *ullo fuit unquam foedere.* an forte post *unquam* excidit *in?* sequitur enim *in amore.*

4. *ex parte mea*, quod ad eam, qua ego te amo, partem attinet.

5. *est mens adducta*, sc. in fines angustiores; si quid, quod est vel fuit amplum et laxum, in angustum vel breve contrahitur, id eleganter dicitur *adduci;* Catulli igitur mens ante amore plena et abundans *(adducta)* nunc inclinata est eo, ut fieret lentior et languidior. Plin. Epist. I, 16. *In concionibus eadem, quae in orationibus, vis est, pressior tamen, et circumscriptior, et adductior.*

6. *Atque ita*, et hac ipsius culpa, *(ipsa se officio suo perdidit)* ipsa privavit se suo erga amatorem officio. Observa locutionis insolentiam: *perdere se* aliqua re, pro: rem aliquam perdere. — Pro *pio* dedi *suo;* hoc enim Codd. Dresd. et omnes ante *Scaligerum* Editt. exhibent, illud debetur *Scaligeri* ingenio. — Vox *officium* in re amatoria passim obvia; vid. *Interpretes* ad Petron. cap. 140. Huc accedit, quod Lesbiae *iniuria* erga Catullum repetenda videtur ab illius in amore perfidia.

8. *omnia si facias*, licet quavis me affeceris iniuria.

CARMEN LXXVI.

AD SE IPSUM.

Si qua recordanti bene facta priora voluptas
Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
Divûm ad fallendos numine abusum homines:
Multa parata manent in longa aetate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quaecunque homines bene quoiquam aut dicere possunt
Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt,
Omnia quae ingratae perierunt credita menti.
Quare iam te cur amplius excrucies?
Quin te animo obfirmas, teque istinc usque reducis,
Et Dîs invitis desinis esse miser?

CARM. LXXVI.

Catullus (ut Carm. LXXII.) de Lesbiae, quae alium in amore sibi praetulerit, perfidia miseras querelas iacit. Acquiescit deinde in solatio efficacissimo, scilicet in dulci pietatis et inconcussae fidei erga Lesbiam conscientia. Ne igitur diutius de Lesbiae levitate excrucietur et paene pereat, omnem erga Lesbiam amorem radicitus ex animo evellere firmo animo constituit; sentiens autem, quam difficile sit veterem amorem eradicare velle, deos obsecrat, ut sibi adsint in obdurando et pervincendo contra Lesbiae amorem animo. — Ceterum in hoc quoque carmine animadvertimus, quomodo Catullus rebus ludicris et amatoriis sententias passim adsperserit gravissimas; quid enim sententia illa, „*recti conscios in longa aetate manere parata gaudia*," cogitare potest gravius?

1—6. *Si qua recordanti* cett. Sensus: si voluptas illa est maxima, quae percipitur ab eo, qui integritatis, pietatis et sanctitatis sibi conscius recolere potest anteactae vitae memoriam, profecto ea me manet senem, cum, qualem me praebuerim ingratae Lesbiae, animo repetiturus sum. — Scripsi in v. 1. non una voce *benefacta*, sed duabus. *bene facta priora*, quae olim bene a se facta sint.

6. *ingrato*, ingrati Lesbiae erga fidem meam in amore animi. — *gaudia*, quae parat dulcis rerum bene factarum recordatio.

9. *ingratae credita menti*, communicata cum ingrati animi Lesbia. — *perierunt*, vana et irrita fuerunt.

11. 12. *Quin te animo obfirmas* cett. *usque*, in aeternum. — Tanta est in hoc versu ineptissimarum lectionum farrago et permixtio, ut eum emendaturis liberior sane danda esse videatur venia. Hac data venia equidem hunc versum ita emendari posse suspicor: *Quin tu animum obfirmas, teque istinc quaque reducis*, quidni animum tuum contra Lesbiae amorem firmare et munire studes et te (*isthinc*) ab Lesbia (*quaque*) quovis modo retrahis, miserque esse desinis. — *Dîs invitis* (ὑπὲρ αἶσαν), Deis te miserum esse nolentibus. — *quaque*, sc. ratione, quae vox passim omitti solet. Virg. Eclog. III, 15. *Et, si non aliqua* (scil. ratione) *nocuisses, mortuus esses.*

Difficile est longum subito deponere amorem:
Difficile est, verum hoc, qua lubet, efficias.
Una salus haec est, hoc est tibi pervincendum.
Hoc facies, sive id non pote, sive pote.
O Dì, si vostrum est misereri, aut si quibus unquam
Extrema iam ipsa in morte tulistis opem:
Me miserum adspicite, et, si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem perniciemque mihi,
Quae mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore laetitias.
Non iam illud quaero, contra ut me diligat illa,
Aut, quod non potis est, esse pudica velit;
Ipse valere opto et tetrum hunc deponere morbum.
O Dì, reddite mî hoc pro pietate mea.

CARMEN LXXVII.

AD RUFUM.

Rufe, mihi frustra ac nequidquam credite amice,
(Frustra? immo magno cum pretio atque malo,)

Et sic v. 14. *qua lubet*, pro: quacunque ratione lubet. — *animum obfirmare*, Plaut. Merc. Prolog. v. 81. *Amens amansque utut animum obfirmo meum.* — *reducis*, Quinctil. Instit. Orator. XII, 5. *timor quidam, reducens animum ab iis, quae facienda sunt.*

14. *qua lubet*, quacunque ratione id efficere tibi lubitum erit.

15. *Una salus haec*, haec una ad salutem patet tibi via, qua tu ex Lesbiae amore servari et expediri potes. — *pervincendum*, forti animo et omni virium nisu ad exitum perducendum; de usu vocis *potis* et *pote* vid. *Muret.* ad h. l.

19. *si vitam puriter egi*, si vixi, ut Horatius loquitur (Sat. I, 6, 69.), *purus et insons.*

23. *contra*, vicissim. — *diligat*, cf. ad LXXII, 3.

25. *valere et tetr. h. dep. morbum*, liberatus tetra amoris insania recuperare pristinam mentis sanitatem.

CARM. LXXVII.

Catullus Rufo, quem adhuc inter amicos suos numeraverat, exprobrat perfidiam, qua Catullo, quod ei longe fuit optimum et carissimum, ereptum est. Labefactaverat fortasse Rufus fidem puellae, quam Catullus amabat. — Quis fuerit *Rufus*, utrum nobilis orator *M. Caelius* vel potius *Caecilius Rufus*, manet in ambiguo; certe de *Rufo* isto, quem poeta supr. LXIX. ut hominem male olentem notavit, cogitari nequit.

2. *Frustra?* at quid dico *frustra?* immo ingente cum damno et merita temeritatis, qua ego me credidi tuae amicitiae, poena. — Poena, quam quis sua ipsius culpa contrahit, huius culpae dicitur *pretium*, *praemium*, *merces* (Gr. μισθός). Terent. Andr. III, 5, 4. *Ego pretium ob stultitiam fero.*

Siccine subrepsti mî atque, intestina perurens,
Mî misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti. Heu, heu, nostrae crudele venenum
Vitae, heu, heu, nostrae pestis amicitiae!

CARMEN LXXVIII.

DE GALLO.

Gallus habet fratres, quorum est lepidissima coniux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus; nam dulces iungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.
Sed nunc id doleo, quod purae impura puellae
Suavia coniunxit spurca saliva tua.
Verum id non impune feres; nam te omnia secla
Noscent, et, qui sis, fama loquetur anus.

4. *omnia nostra bona*, omnia, in quibus posita fuit nostra felicitas; intellige fructus apud Lesbiam amatorios.

5. 6. *venenum — pestis amicitiae*, pro vulgari: amicitiae nostrae pernicies. *Pestis*, *venenum*, translate de rebus, quas, sicut pestem et venenum, abominamur et exhorrescimus. Cf. supr. ad XLIV, 12.

CARM. LXXVIII.

Gallum, ut hominem, qui non solum ipse libidinibus indulgebat, sed etiam aliis ad libidinem exercendam facem praeferebat, salse et contumeliose poeta his versibus tractat et traducit. — Quis fuerit iste homo, nemo facile sciendi erit cupidus.

3. 4. *Gall. hom. est bell.* per ironiam *bellus* vocatur *Gallus*, qui, tanquam ipse bellus, bellum puerum cum bella puella per dulces amores iungit. *Belli hominis* imaginem adumbravit Martial. III, 63. — *nam dulces* cett. nam ad dulces amores inter se iungendos et coniunctim exercendos operam dat, ut bella coniux alterius fratris concumbat cum bello filio alterius fratris. — *coniux* iam vocatur *puella*, ut passim iuvenes uxores vocari solent *puellae*. Horat. Od. III, 22, 2. *Virgo* (Diana), *Quae laborantes utero puellas Ter vocata audis*, et Od. III, 14, 11. *et puellae Iam virum expertae*. Et sic Penelope in Epist. ad maritum suum Ulyssem apud Ovid. Heroid. I, 115. se *puellam* vocat.

5. 6. *nec se videt* cett. nec ille, cum ut patruus fratris filio ad adulterium cum patrui uxore committendum viam aperiat, idem sibi ut marito accidere posse secum reputat.

7. 8. *Sed nunc* cett. iunge: *Sed nunc id doleo, quod spurca tua saliva coniunxit suavia impura puellae meae suaviis puris*, h. e. sed id me male habet, quod ore impuro os puellae meae purum deosculatus es.

10. *fama anus*, ut supr. LXVIII, 46. *charta anus*, ubi cf. *not.*

CARMEN LXXIX.

IN LESBIUM.

Lesbius est pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum suavia repererit.

CARMEN LXXX.

AD GELLIUM.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis, et cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est. An vere fama susurrat
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe clamant Virronis rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

CARM. LXXIX.

Lesbius (a *Lesbiae* amore, quem iste iactabat, nomen, ut videtur, fictum) se, ut hominem *pulchrum*, a Lesbia Catullo adeo in amore praeferri dictitare solebat. Hunc ineptum et magnifice de se sentientem hominem ridet Catullus, dum eum, ut hominem impuri oris, vix a vulgaribus et sibi notis hominibus tria suavia, nedum a Lesbia, accepturum esse ait.

3. *vendat cum gente Catullum*, me servum cum tota gente mea publice vendendum producat, si cett. Est iurandi vel obtestandi formula, accommodata ad verba: *quem Lesbia malit, Quam te cum tota gente, Catulle, tua.*

CARM. LXXX.

Poeta quaerit ex Gellio, quid sit quod roseus in eius ore color mutatus sit in niveum? Quaerit porro, num male eius affecta valetudo et oris pallor confirmet fortasse famam, quae de nefando eius libidinis genere differatur?

3. 4. *octava hora*, apud nos hora secunda post meridiem, quo fere tempore finiri solebat meridiatio. — *die longo*, aestivo.

5. *Nescio quid* (sit) *certe est* (aliquid). Hac Catulli formula usus quoque est Virgilius in Pharmaceutria Eclog. VIII, 107., quam quidem Virgilius hoc sensu usurpasse videtur: Postquam ibi venefica sacro magico instituto Daphnin ex urbe adesse iusserat hoc saepius repetito versu: *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin*, tandem illa, cum, fausto signo de bono veneficii eventu animadverso, venientis Daphnidis strepitum sibi audire videtur, exclamat: *Nescio quid*, supple: audio, *certe est*, scilicet: *Daphnis.*

7. *Sic certe clamant*, id certe alta quasi voce declarant.

CARMEN LXXXI.

AD IUVENTIUM.

Nemone in tanto potuit populo esse, Iuventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Praeterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua?
Qui tibi nunc cordi est, quem tu praeponere nobis
Audes. Ah! nescis, quod facinus facias.

CARMEN LXXXII.

AD QUINTIUM.

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis,
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, si quid carius est oculis.

CARM. LXXXI.

Carpitur Iuventius, qui, quasi nusquam in populo tam numeroso reperiatur homo bellus et amore dignus, hospitem quendam, in regione ob aëris gravitatem valetudini infesta natum et pallore obductum, Catulli amori atque amicitiae praetulerit.

1. 2. *Nemone* cett. nullusne *(praeterquam)* nisi. — *quem diligere inciperes*, pro: diligeres.

3. *Pisauri. Pisaurum* erat oppidum in Umbria prope fluvium Pisaurum, ubi incolarum corporibus perniciosa fuit aëris pestilentia; hinc *Pisaurum* vocatur *sedes moribunda*, ubi homines moribundorum speciem prae se ferebant.

4. *inaur. pallidior stat.* — *color auri* Graecis est ὠχρός, χλωρός, Latinis *pallidus*. cf. supr. ad LXIV, 100. *Concolor auro* apud Sil. Ital. I, 233 est *pallidus*.

CARM. LXXXII.

Mollissimis precibus poeta Quintium permovere studet, ut abstinere velit a re longe sibi carissima, a Lesbia, ut videtur, sua, quae ipsis oculis sibi sit carior.

1. *Quinti, si vis* cett. si tu vis re, qua nihil mihi potest esse carius, me tibi reddere obstrictissimum. — *oculi*, pars corporis nostri longe praestantissima, translate dicuntur de iis, qui sunt apud nos in maximo pretio, in summis deliciis. Plaut. Curcul. Act. I. Scen. III, 47. *Bene vale, ocule mi.*

3. *ei*, monosyllabum per synaeresin.

CARMEN LXXXIII.

IN MARITUM LESBIAE.

Lesbia mî praesente viro mala plurima dicit;
Hoc illi fatuo maxima laetitia est.
Mule, nihil sentis. Si nostri oblita taceret,
Sana esset; quod nunc gannit et obloquitur,
Non solum meminit, sed, quae multo acrior est res,
Irata est: hoc est, uritur et loquitur.

CARMEN LXXXIV.

DE ARRIO.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et hinsidias Arrius insidias,
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo, sic mater, sic Liber avunculus eius,
Sic maternus avus dixerat, atque avia.

CARM. LXXXIII.

Exagitat poeta stultitiam Lesbiae mariti, qui, cum ipso praesente convicia Catullo ingereret Lesbia, stolide laetatus est. Eiusmodi enim rixas amantium amorem potius quam veras iras prodere non intellexit stultus iste maritus.

1. *mala plurima dicit*, plura opprobria, convicia, exspuit. Tibull. I, 2, 11. *Et mala si qua tibi dixit dementia nostra.*

3. 4. *Si nostri* cett. si ne verbo quidem illa me appellasset, sed silens tacensque mihi adfuisset, profecto illa omnis erga me amoris expertem se praestitisset. — *gannit*, voces et sonos irae edit, quales edunt canes, cum dentes ostendunt et ringuntur; est igitur *gannire* quod nos dicimus: *knurren.*

5. *Non solum meminit*, non solum nos in animo memori habet, vel nostri memor est.

CARM. LXXXIV.

Unaquaque aetate extiterunt homines, qui inepto singularis cuiusdam rei studio risum darent aliis. Talis fuit homo quidam ex gente *Arriorum* oriundus. Is igitur, ut verba non pronuntiatione vulgari, sed spiritu grandisono et voce intentiore efferret, *chommoda* pro: *commoda*, *hinsidias* pro: *insidias*, *Hionios* pro: *Ionios* ore hiante enuntiare solebat. — Quis fuerit ridiculus iste homo, *Arrius*, frustra adhuc quaesitum est; plurium enim *Arriorum* apud veteres scriptores fit mentio. Sic Horat. Sat. II, 3, 243. duos *Arrios* notat, quos vocat *par nobile fratrum*, *Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum.*

5. 6. *Credo sic* cett. iunge: *Sic, credo, dixerat mater, sic* cett.—Quis fuerit *Liber avunculus*, quaerant, quos de rebus abstrusis quaerere iuvat. In hoc vano autem ver-

Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem haec leniter et leviter,
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito adfertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

CARMEN LXXXV.

DE AMORE SUO.

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

CARMEN LXXXVI.

DE QUINTIA ET LESBIA.

Quintia formosa est multis; mihi candida, longa,
Recta est. Hoc ego, sic singula confiteor.

borum pronuntiandorum studio vel more tota gens Arriorum mirifice sibi placuisse videtur.

7. 8. *Hoc misso in Syriam*, sine dubio ad res publicas in Syria gerendas. — *requierant omnibus aures*, omnium aures recreari coeperant a molestia illa, qua absurda Arrii verba declamandi et corrumpendi ratione pulsatae fuerant. — *Audibant* cett. audiebant quidem eadem verba, sed leni et molli pronuntiatione.

9. *postilla*, pro: postea, apud Plautum et Ciceronem.

10. *horribilis*, refer ad verborum corruptorum adspirationes, auribus horrorem quasi incutientes.

CARM. LXXXV.

Odi et amo. Profitetur poeta naturam et ingenium, quo se duci patiantur amantes. *Bellum* et *pax*, ut loquitur Terentius, invicem in amore se excipiunt. Hinc Catullus iam supr. LXXV, 7. 8. *Ut iam nec bene velle queam tibi, si optima fias, Nec desistere amare, omnia si facias;* et Phaedria apud Terentium Eunuch. I, 1, 27. *Et taedet, et amore ardeo.* Itaque qui id fiat et fieri possit, se non intelligere ait.

CARM. LXXXVI.

Quintiam Catullus comparat cum Lesbia. Vulgo *formosa* habebatur Quintia; nec formositatis partes quasdam ei Catullus derogat, sed gratiae, leporis et festivi ingenii laudem, in qua conspiciatur venustas et omnis pulchritudo, recte ei tribui posse negat. At haec omnia in Lesbia sua exsplendescere probat et contendit.

1. 2. *multis*, secundum multorum sententiam. — *mihi candida, longa* cett. equidem Quintiam ut puellam albi coloris, proceri et erecti corporis, laudo, et has singulas pulchritudinis partes laudandas esse censeo. — *Recta*, erecta, ut supr. X, 20. *recti homines.* — Hic locus Catulli obversatus esse videtur Horatio Sat. I, 2, 123. 24. *Candida rectaque sit, munda hactenus, ut neque longa Nec magis alba velit, quam det natura, videri.* — *Hoc ego*, haec est mea sententia.

Totum illud, formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est: quae cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

CARMEN LXXXVII.

CARMEN LXXXVIII.

IN GELLIUM.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit et abiectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil est quidquam sceleris, quo prodeat ultra;
Non si demisso se ipse voret capite.

CARMEN LXXXIX.

DE GELLIO.

Gellius est tenuis: quidni? quoi tam bona mater
Tamque valens vivat, tamque venusta soror,

3. *formosa*, quod ad formositatem attinet, vel: eam formosam esse. — *venustas*, elegantia, lepor.

6. *omnibus un. omn. surr. Veneres*, una illa omnibus puellis omnia venustatis genera praeripuit et ad se transtulit.

CARM. LXXXVII.

Duo disticha, quae hunc locum occupaverant, transposuit *Scaliger* ad Carmen LXXV., ubi vid. Var. Lect. edit. prioris.

CARM. LXXXVIII.

Gellium hominem spurcissimae libidinis fuisse plura, quibus Catullus istius spurcitiem diffamavit, satis docent carmina.

2. *abiectis*, depositis.

3. *patr. qui non s. e. maritum*, cf. supr. LXXIV, 3.

4. *suscipere scelus*, ut passim *culpam*, *crimen*, *parricidium* cett., pro: admittere, committere, perpetrare, contrahere.

5. *ultima Tethys*, totum mare, a primis eius ad extremos usque fines. — *abluit.* aquae tam pluviali quam marinae vis sceleste facta abluendi, purgandi et expiandi tribuebatur. Cicero pro Rosc. Amer. 26. *ne mare — polluerent*, *quo cetera, quae violata sunt, expiari putantur*. Eurip. Iphigen. in Taur. 1193. *θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά.* Ad utrumque locum plura in hanc rem interpretes collegerunt.

7. *quo prodeat ultra*, quo ulterius ille progrediatur in scelere.

8. *demisso*, deflexo, inclinato.

CARM. LXXXIX.

Ne quis quaerat vel miretur, quid sit quod Gellius incedat cor-

Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis, quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est,
Quantumvis, quare sit macer, invenies.

CARMEN XC.

IN GELLIUM.

Nascatur Magus ex Gellî matrisque nefando
Coniugio, et discat Persicum haruspicium.
Nam Magus ex matre et gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio,
Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

pore macie extenuato, causam in promtu esse ait Catullus, assiduam scilicet Gellii turpissimae libidinis cum ipsis cognatis exercendae consuetudinem. Itaque poeta homines de Gellii macie mirari desinere iubet.

1. *tenuis*, sc. macie, exilis. Nemesian. Cyneg. v. 137. *canes m a c i e t e n u e s.* — *quidni?* quid mirum?

2. *Tamque valens*, sc. corporis robore, quod postulat libidinis exercitium.

3. *Tamque bonus patruus.* per ironiam dicitur patruus *bonus*, qui tulit fratris filium in re longe turpissima et nullo modo ferenda. cf. LXXIV, 3.

4. *macer*, macilentus; *macilentiam* autem etiam in nervoso corpore locum habere satis constat.

5. *ut*, quamvis. — *nisi quod fas tangere non est*, nisi quod tangere prohibet pietas, h. e. nisi cognatas.

6. *Quantumvis*, tantum, quantum vis et satis est.

CARM. XC.

Pergit poeta nefandae libidinis narrare genera, quorum culpam Gellius sibi contraxerit. Ad ea refert incestum Gellii cum ipsius matre amorem. Iam vero cum secundum impiam Persarum religionem rite Magus fieri posset is, qui e matre, ab ipsius filio gravida facta, natus esset, Catullus satis salse Gellium patrem futuri Magi cuiusdam extiturum esse canit.

1. *Magus*, sapiens vel sacerdos apud Persas. Cic. de Divin. I, 23. *ei m a g o s dixisse (quod genus s a p i e n t u m et d o c t o r u m habebatur in Persis).*

2. *Coniugio*, mutua libidinis societate vel coniunctione. Tibull. III, 4, 74. *Nescis, quid sit amor, iuvenis, si ferre recusas Immitem dominam c o n i u g i u m que ferum.* — *haruspicium*, artem vel disciplinam haruspicum, haruspicinam.

4. *Pers. imp. religio.* de hac impia Persarum religione cf. *Muretus.* Huc spectat Euripid. Androm. 173 seqq. *Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος· Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται, Κόρη τ' ἀδελφῷ*, ubi Scholiastes: *ταῦτα Περσικὰ ἔθη.*

5. *accepto*, grato et iucundo.

6. *Oment. in fl. p. liquef.* ornate pro simplice: sacrificans. — *omentum pingue*, intellige adipem extorum; *in flamma liquefac.*, ad ignem molliens, h. e. coquens. Pers. Sat. II, 47. *Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant*; vid. ibi *Casaubonum.* — Catullus in *liquefaciens* secundam produxit.

CARMEN XCI.

IN GELLIUM.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore,
Quod te cognossem bene, constantemve putarem,
Aut posse a turpi mentem inhibere probro:
Sed quod nec matrem nec germanam esse videbam
Hanc tibi, quoius me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo coniungerer usu,
Non satis id causae credideram esse tibi.
Tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
Culpa est, in quacunque est aliquid sceleris.

CARMEN XCII.

DE LESBIA.

Lesbia mî dicit semper mala, nec tacet unquam
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.
Quo signo? quasi non totidem mox deprecor illi
Assidue: verum dispeream, nisi amo.

CARM. XCI.

Gellium ait poeta hominem esse, cui nihil tam sanctum sit, quod non scelere polluat, nihil tam inviolabile, cui idem non vim inferat; Gellium igitur nulla re magis ad flagitia patranda incitari, quam ea, cui aliquid sceleris insit.

2. *perdito amore.* perdiderat Catullus felicitatem, quam adhuc ex Lesbiae amore perceperat.

4. *Aut posse,* repete ex versu antec. *te.*

5. *nec matr. nec germ.* cf. Carm. praeced. v. 1 et 3.

6. *Hanc tibi,* Lesbiam. — *edebat,* exedebat, carpebat. *edere* vel *esse* de amore et igni, pro: absumere, saepe. Supr. XXXV, 15. *Ignes interiorem e d u n t medullam.*

CARM. XCII.

Lesbiam ait Catullus semper rixas movere et in se iacere convicia; se ipsum idem facere, et hoc esse amoris signum; secundum illud Terentii (Andr. III, 3, 23.): *Amantium irae amoris integratio est.*

1. Pro *male* ex coniectura posui *mala*; sic supr. LXXXIII, 1. *Lesbia mî praesente viro m a l a p l u r i m a dicit.* — *mala* iam sunt: convicia, opprobria.

3. 4. *Quo signo?* Sensus est: Quaerat fortasse aliquis, unde hoc colligam? — *quasi non totidem mox deprecor illi Assidue.* hic locus mihi corruptus videtur; cumulatas particulas *quasi, non, totidem, mox, assidue,* vix ferre videtur latinitas, multo minus poetica dicendi ratio. — *totidem* durissima ratione referri debebat ad *male dicere,* at commode nunc refertur ad *mala* (convicia), quod ego in v. 1. pro *male* dedi. Rectius incedere videtur oratio, si hunc locum ita cum *Iacobsio* emendaveris: *quasi*

CARMEN XCIII.

IN CAESAREM.

Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere,
Nec scire, utrum sis albus, an ater homo.

CARMEN XCIV.

IN MENTULAM.

Mentula moechatur: moechatur mentula certe.
Hoc est, quod dicunt: Ipsa olera olla legit.

CARMEN XCV.

DE SMYRNA CINNAE POETAE.

Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem,
Quam coepta est, nonamque edita post hiemem,

non totidem mala deprecer illi Assidue. — *deprecari* dictum est pro: *mala imprecari*, ut docuit A. Gellius Noct. Attic. VI, 16. — *Assidue* respondet particulae *semper* in v. 1.

CARM. XCIII.

Catullus se de Caesaris moribus et ingenio haud honorifice sentire et indicare, uti supr. Carm. LIV. LVII., ita hoc uno disticho haud obscure declaravit.

1. *Nil*, nulla omnino re, ut passim *nihil*.— *velle* abundat, ut saepe.

2. *utrum sis alb. an at h.*, qualis tu sis, utrum candidus, an niger (Horat. Sat. I, 4, 85. *hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.*), utrum honestus, an inhonestus.

CARM. XCIV.

1. Sunt qui Catullum per *Mentulam* intellexisse suspicentur *Mamurram*, quod probabile fit ex Carm. CXIV. Certe non dubium est, quin poeta per Mentulam designaverit hominem praeter modum salacem.

2. *Ipsa olera olla legit.* haec proverbialis locutio explicanda videtur de rebus, quae coniungi volunt cum iis, quae illarum naturae conveniant. Si igitur *Mentula* moechatur, facit id, quod eius nomini est consentaneum, ut in eo, quod dicunt *ollam olera* legere. Lusus in nomine et syllabis. *Olla* convenit coquendis oleribus. Inepta enim huius proverbialis locutionis explicatio esse videtur eorum, qui illam repetunt a fure quodam, qui in olerum furto ablatorum crimine deprehensus hac excusatione se purgare voluerit.

CARM. XCV.

C. Helvius Cinna, Catulli amicus, cum esset poeta, qui non levi opera vel ore loquace ingentem versuum lutulentorum numerum deproperaret, sed *in versu faciendo* (ut loquitur Horatius) *saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues*, elimando, expoliendo et ad perfectionem aliquam adducendo carmini, *Smyrnae* nomine insignito, decem ferme annos insudaverat. Cinnam igitur, ut poetam egregium, et eius carmen *Smyrnaeum*, quod ad posteros et in terras remotissimas propagaretur, dignissimum, Catullus his paucis versibus celebrat. Ceterum cum

Millia cum interea quingenta Hortensius uno
* * *
Smyrna cavas Atacis penitus mittetur ad undas,
Smyrnam incana diu secula pervoluent.
At Volusi annales * * *
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monumenta * * *
At populus tumido gaudeat Antimacho.

toto hoc Catulli poemate comparanda est Celeberrimi *Weicherti de Cinna poeta* disputatio.

1-4. *Smyrna.* quod argumentum tractaverit Cinna in Carmine *Smyrna* (Zmyrna), est in ambiguo. Antonius Parthenius Veronensis Cinnam in laudato carmine res praeclare ab Amazone quadam gestas cecinisse ait; alii Cinnam incestum Myrrhae vel Smyrnae cum parente Cinyra amorem enarrasse contendunt; vid. *Muncker.* ad Hygini Fab. LVIII, et *Burm.* ad Ovid. Met. X, 298. Ceterum *Cinnae*, ut poetae insignis, honorifica quoque mentio fit apud Virg. Eclog. IX, 35. *Nam neque adhuc Vario videor nec d i c e r e C i n n a D i g n a* cett. — *nonam post messem et nonam hiemem.* in commendando praecepto: „scripta, quae quis in lucem emissurus sit, ad illa emaculanda per novem deinceps annos retinenda esse in scrinio," Horatius (Epist. ad Pis. 388. *nonumque prematur in annum*) Cinnae exemplum ante oculos habuisse videtur. — *Hortensius*, nobilissimus igitur ille orator ingentem quoque versuum copiam. sed iratis Musis effudit. *Hortensii*, ut poetae, meminit quoque Ovidius Trist. II, 441. — *** deperditus pentameter non nisi vetere quodam libro, in quo ille legatur, invento restitui potest. Ad sententiam in pentametro temporis iniuria absumto expressam ducit quodammodo vox ultima hexametri *uno*, nempe: uno in pede stans carmina conscriberet. Animi igitur causa effinxi ego hunc pentametrum: *Stans pede dictaret carmina ineptus homo*, vel lege pro *ineptus: p l e n u s*, ut suppleatur: versuum ineptorum. Horat. Sat. I, 4, 9. 10. de Lucilio: *in hora saepe ducentos, Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.* Catulli igitur hic locus, cum adhuc esset integer, fortasse obversatus est Horatio, ut eidem versus primus huius carminis in Epist. ad Pis. 388.

5. *cavas*, vid. supr. ad XVII, 4. — Cinnae carmen non Romae tantum legetur, sed in remotiores quoque terras missum doctorum ibi manibus teretur. — *Atacis*, fluvius Galliae Narbonensis.

6. *incana*, sera, remotissima; sic apud Sil. Ital. III, 328. *aetas incanescere* dicitur.

7. 8. *At Volusi ann.* cf. supr. ad XXXVI, 1. — *scomb. scomber* est piscis marinus, vulgo: *Makrele;* pisces marini autem, ne manus, cum portantur, polluantur muria, amiciri solent tunica, h. e. involucro, quod constat e chartis ineptis; hae *tunicae* autem dicuntur *laxae*, quia non constringuntur, sed laxe circumvolvuntur. Martial. IV, 87, 8. *Nec scombris tunicas dabis molestas*, et III, 50, 9. ubi est: *poemata dare scombris.* — *monumenta* *** inter plures voces, quas interpretes ad lacunam explendam attulerunt, mihi cum *Mureto* placet: *sodalis.*

10. *Antim. Antimachus* (ab urbe Colophoniorum *Claro*) *Clarius*, quanquam, ut ait Catullus, fuit poeta *tumidus*, h. e., ut Horatius loquitur, *nubes et inania captans*,

CARMEN XCVI.

AD CALVUM DE QUINTILIA.

Si quidquam mutis gratum acceptumque sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

CARMEN XCVII.

IN AEMILIUM.

Non, ita me Dii ament, quidquam referre putavi,
Utrumne os an culum olfacerem Aemilio.
Nil immundius hoc, nihiloque immundius illud,
Verum etiam culus mundior et melior:

tamen non displicuisse videtur populo; nam additur: *populus gaudeat Antimacho.* vide de eo *Schellenberg* edit. Antimachi Coloph. reliqu. et *Bachium* in rell. Philet. Hermes. et Phan. p. 240. sqq. Scripsit *Antimachus* magno volumine Thebaida.

CARM. XCVI.

Calvi mollissimos amores poeta celebrat. Calvum scilicet, qui Quintiliam, dum illa vivebat, perdite amaverat, nunc eam mortuam tanto dolore lugere Catullus ait, ut, si huius doloris sensus penetrare possit ad mortuos, illa de immatura sua morte magis gavisura quam dolitura sit. — *Calvus* idem esse videtur, ad quem scriptum est Carm. XIV., ubi de eo vide. — Ceterum Calvum Quintiliae suae mortem peculiari elegia deflevisse discimus ex Propert. II, 25, 89.

1. *Si quidquam* cett. dubitatio, utrum sentiant mortui, quae fiunt apud viventes, necne, passim mota est apud veteres. — *mutis sepulcris*, cf. infr. Carm. CI, 4, ubi omnia silent.

2. *a nostro dolore*, ab eo dolore, quem nos suscipimus viventes.

3. *Quo*, sc. dolore. — *desiderio*, propter desiderium veterum amorum, vel eorum, quos amamus. Horat. Od. I, 24, 1. *Quis desiderio sit pudor aut modus Tam cari capitis.*

4. *olim*, ante aliquod tempus; *olim* non tantum de tempore iam diu, sed etiam de tempore proxime praeterlapso. — *amissas*, perditas. *salus amissa*, Cic. Epist. ad Attic. IX, 5.

CARM. XCVII.

Quicunque tabulam, in qua Aemilius, ut homo tam corpore quam moribus abominabilis, foedissimis coloribus adumbratus est, usurpat oculis, is non solum ab huius tabulae contemplatione tanquam a re male ominata avertet oculos, sed etiam Catullum, poetam doctissimum venustissimumque, artificem huius tabulae esse mecum dolebit.

2. *Aemilio*, Aemilii, vel apud Aemilium.

3. *hoc*, sc. culo. — pro *nihiloque immundius illud* cum *Mureto*,

Nam sine dentibus est. Hoc dentes sesquipedales,
Gingivas vero ploxemi habet veteris;
Praeterea rictum, qualem diffissus in aestu
Meientis mulae cunnus habere solet.
Hic futuit multas, et se facit esse venustum,
Et non pistrino traditur atque asino?
Quem si qua attingit, non illam posse putemus
Aegroti culum lingere carnificis?

CARMEN XCVIII.

AD VETTIUM.

In te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti,
Id, quod verbosis dicitur et fatuis:
Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
Culos et crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
Dicas: omnino quod cupis, efficies.

Graevio et aliis scribendum videtur *nihil est immundius illo*, sc. ore.

5. *Hoc*, sc. os.

6. *ploxemum* vel *ploximum* vel *ploxenum*, vox Celtica secundum *Voss.* vel secundum Quinctil. Inst. Orat. I, 5. vox a Catullo circa Padum audita; cf. *Salmas.* ad Capitol. Anton. P. c. 12. Accipitur *ploxemum* de parte cisii, ubi, qui vehebantur, sedebant; *vetus*, quod vetustate corruere coepit, vel cuius partes vetustate dissolutae latiore spatio distant. Cum eiusmodi male affecti *ploxemi* forma comparantur gingivae Aemilii.

7. *diffissus*, diductus, dilatatus. — *in aestu*, sc. libidinis, ubi cunnus animalium amplior et latior esse solet.

9. *se facit esse venustum*, se ita gerit, quasi sit venustus. Supr. X, 17. *ut unum me facerem beatiorem.*

10. *asino*, versando lapidi molari; molae enim lapis superior dicebatur *asinus*, Graecis *ὄνος μυλικός*.

CARM. XCVIII.

Abominabiles esse homines, qui aures nostras stolida loquacitate obtundant, Catullus his tribus distichis probat exemplo *Vettii*, quem, si velit ille perdere homines, armis efficacissimis, loquacitate vel garrulitate, uti iubet. Utrum *Vettius* fuerit iste, de quo agit Cicero in Epist. ad Attic. II, 24. et in Orat. pro Sext. cap. 63., evinci certo argumento nequit.

1—4. *In te* cett. Iunge: *Si in quemquam, quod verbosis dicitur et fatuis, id in te, putide Vetti, dici pote* (potest). — *putide*, o tu homo absurde et stolide; cf. supr. ad XLII, 11. — *crepidas carbatinas*, calceamentum rusticum, e crudo et recenti corio confectum apud Cares. Pollux VII, 22. *καρβατίνην εἶναι ἀγροικῶν ὑπόδημα μονόδερμον.* — *lingere*, nempe lutum et coenum, quo obducta erant rustica illa calceamenta.

5. *perdere*, sic saepius apud Plautum et Terentium *enecare*, et *occidere* apud Horat. Epod. XIV, 5. et Epist. ad Pis 475.

6. *Dicas*, loquere, linguam exerce, lingua nos pete.

CARMEN XCIX.

AD IUVENTIUM.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non impune tuli: namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce,
Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis
Tantillum vostrae demere saevitiae.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
Guttis abstersisti omnibus articulis,
Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,
Tanquam comminctae spurca saliva lupae.
Praeterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti omnique excruciare modo,
Ut mî ex ambrosio mutatum iam foret illud
Suaviolum tristi tristius helleboro.
Quam quoniam poenam misero proponis amori,
Non unquam posthac basia surripiam.

CARM. XCIX.

Hoc carmen scriptum est ad *Iuventium*, puerum mollem et venustum, qui accommodate ad dulcissimum osculum, quod poeta illi surripuerat, vocatur *mellitus*. Describitur autem in hoc carmine cum vis, quam oscula habent, tum simulata in amoribus tergiversatio.

1. *dum ludis*, inter ludendum. Cogita vel de lusibus et deliciis, quas inter se faciunt nectuntque pueri, vel de ludis, quibus in campo Martio exercebatur iuventus.

3. *Ver. id n. impune tuli*, supr. LXXVII, 9. *Verum id non impune feres.*

4. *Suffix. in s.* cett. ornate pro vulgari: summos cruciatus sensi et pertuli.

6. *vostrae*, communi illi asperitati, qua vos formosi formosaeque tractatis amatores.

8. *articulis*, sc. digitorum. *Muretus* comparat Theocrit. Idyll. XXVII, 5. *Τὸ στόμα μευ πλύνω καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.*

9. *contractum*, collectum.

10. *Tanquam*, tanquam esset saliva mea aeque spurca atque est meretricis. — *lupa* meretrix, unde *lupanar.*

11. *infesto*, adverso, ubi reiicitur et contemnitur amator.

14. *tristius helleboro*, amarius amara illa herba, helleboro; hinc proverbialis apud Graecos locutio: *πικρότερον ἐλλεβόρου.*

CARMEN C.

DE COELIO ET QUINTIO.

Coelius Aufilenum, et Quintius Aufilenam,
Flos Veronensium depereunt iuvenum,
Hic fratrem, ille sororem. Hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Quoi faveam potius? Coeli, tibi: nam tua nobis
Perspecta exigit hoc unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Coeli, sis in amore potens.

CARMEN CI.

INFERIAE AD FRATRIS TUMULUM.

Multas per gentes et multa per aequora vectus
Adveni has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater ademte mihi.

CARM. C.

Duos florentissimos Veronae iuvenes, Coelium et Quintium, cum ille puerum Aufilenum, hic pueri sororem, Aufilenam, deperiret, Catullus *dulce et vere fraternum sodalitium* vocat. Favet autem poeta Coelii imprimis amori, quia ipse quoque eius in amore suo favorem olim expertus fuerat. De *Coelio* cf. supr. *Argum.* ad LVIII.

2. *Vĕrōnēnsi͞um.*

6. *unica*, sc. in suo genere, h. e. singularis.

7. *Cum vesana* cett. significanter pro vulgari: cum ego amarem.

8. *in amore potens* eleganter dicitur, qui tam aetatis flore, quam corporis pulchritudine, ita pollet, vel tam *potens* est, ut nemo eius amori resistere queat; Horatius huius potentiae causas addit, *Veneris munera*, Od. IV, 10, 1. *O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens.*

CARM. CI.

Exemplum pii fratris, Catulli, qui, ut fratri morte ademto inferias solemni more instauraret, in terras remotissimas, ubi ille sepultus fuit, profectus est. De Catulli fratris morte cf. supr. Carm. LXV. et LXVIII.

3. *munere mortis*, quo mortui honorantur et pie coluntur; apud Homerum est *γέρας θανόντων*, Iliad. XVI, 675.

4. *mutum cinerem.* Antipater Sidon. Epigr. XC, 8. in Anthol. *Iacobs.* Tom. II. p. 38.

ἀντὶ δὲ σεῖο
Στάλα καὶ κωφὰ λείπεται ἄμμι κόνις.

nequidquam, quia cinis non respondet.

6. *indigne*, qui nondum debebas mori, sed, qui diutius viveres, dignus eras. — *frater ademte mihi*, supr. LXVIII, 20. *o misero frater ademte mihi.*

Nunc tamen interea prisco quae more parentum
    Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe, fraterno multum manantia fletu,
    Atque in perpetuum, frater, have atque vale.

CARMEN CII.

AD CORNELIUM.

Si quidquam tacito commissum est fido ab amico,
    Quoius sit penitus nota fides animi:
Me unum esse invenies illorum iure sacratum,
    Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

CARMEN CIII.

AD SILONEM.

Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo,
    Deinde esto quamvis saevus et indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine, quaeso,
    Leno esse, atque idem saevus et indomitus.

8. *munera*, lac, vinum, mel, aqua, sanguis, flores; vid *Kirchmannus* de *Funeribus Romanorum* IV, 2. Locus classicus de hac re est apud Virg. Aen. VI, 225—31.

10. *have atque vale*, formula solemnis, qua mortuum salutabant eique valedicebant amici et propinqui; Virgilius l. l. v. 231. vocat verba illa ultima *novissima*. Aeneas apud Virg. Aen. XI, 97. ad Pallantem: *Salve aeternum mihi, maxime Palla, Aeternumque vale.*

CARM. CII.

Poeta apud Cornelium quendam, qui quod spectatae fidei amico committeret habuisse videtur, se profitetur hominem, in quo sita sit sancta fides et alta taciturnitas.

1. *tacito*, non temere, quod eius taciturnitati creditum est, effutienti.

3. *illorum iure sacratum*, eleganter pro: receptum esse in sacrum ordinem illorum, qui ius taciturnitatis exercent.

4. *Harpocratem*, vid. supr. ad LXXIV, 4.

CARM. CIII.

Poeta lenonem quendam, Silonem, aut decem sestertia, quae a se accepisset, reddere, aut se officiosiorem lenonem praestare iubet.

1. *sodes* (si me audis), cum ironia; nos: *wenn es beliebt*.

2. *Deinde*, quod si feceris. — *quamvis*, quantumvis, pro animi arbitrio; vid. *Duker.* ad Liv. I, 51. — *saevus et indomitus.* refer ad ingenium lenonum, qui muneribus et mercede pro parato libidinis fructu exsatiari nequeunt.

3. 4. *desine, quaeso* cett. desine, quaeso, leno esse, et quidem leno, qui saevus sit et indomitus.

CARMEN CIV.

AD QUENDAM DE LESBIA.

Credis me potuisse meae maledicere vitae,
Ambobus mihi quae carior est oculis?
Nec potui, nec, si possem, tam perdite amarem:
Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

CARMEN CV.

IN MENTULAM.

Mentula conatur Pimplaeum scandere montem:
Musae furcillis praecipitem eiiciunt.

CARMEN CVI.

DE PUERO ET PRAECONE.

Cum puero bello praeconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

CARM. CIV.

Poeta carpit quendam, ut hominem mendacissimum, quod ille Catullum Lesbiam suam ex ira conviciis sectatum esse rumorem sparserat.

1. 2. *Credis me potuisse* cett. putasne fieri potuisse, ut ego Lesbiam vita et oculis mihi cariorem maledictis peterem?

3. 4. *Nec potui, nec* cett. nec potui id a me impetrare, nec ego tam perdite amarem, si id a me impetrare possem. — *Tappone*, homine, qui falsa finxisse videtur. — *omnia monstra facis. monstra facere* iam est: prodigiosa et monstrosa, h. e. incredibilia, fingere et evulgare (τερατολογεῖν). Cic. ad Attic. IV, 7. *Venerat horis duabus ante Chaerippus: mera monstra nuntiarat.*

CARM. CV.

Mentula, sub cuius nomine latere videtur homo quidam insulsus, vanus et libidinosus (vid ad Carm. XCIV.), cum montem Pimplaeum, ut choro Musarum sese immisceret, ascendere ausus esset, furcillis inde, ut Catullus in hoc disticho narrat, a Musis detrusus est, h. e. Mentula invita Minerva operam dedit scribendis carminibus.

1. *Pimplaeum montem*, Pimplam, in Macedonia, Musis sacrum; unde apud Horat. Od. I, 26, 9. *dulcis Pimpleis*, Musa.

2 *furcillis eiic.* Cic. ad Attic. XVI, 2. *sed quoniam furcilla extrudimur.*

CARM. CVI.

1. 2. Cogita poetam vidisse bellum quendam puerum cum praecone aliquo in via publica incedentem; ait igitur poeta: Quis potest bellum puerum cum praecone ambulantem conspicere, quin credat puerum illum per praeconem se vendere velle? — Praecones, ut satis constat, res vendendas sublata voce proclamare solebant. Hinc *per praeconem aliquid vendere*, Cic. de Nat. D. III, 34.

CARMEN CVII.

AD LESBIAM.

Si quidquam cupido optantique obtigit unquam et
Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum nobis, quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mî cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. O lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut, magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

CARMEN CVIII.

IN COMINIUM.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data volturio,
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

CARM. CVII.

Catullus de Lesbia sibi restituta triumphat, *omnibus*, ut Cicero loquitur, *incedit laetitiis*, et omnium mortalium se longe praedicat felicissimum.

1. *cupido*, scilicet felicitatis per amorem impetrandae.

2. *Insperanti*, nam, *Quidquid praeter spem evenit* (ut ait Terentius Phorm. Act. II, 1, 16 et 21.), id *omne in lucro deputare* debemus. — *hoc est gratum animo proprie*, hoc est animo vere et sensu proprio gratum.

3. Particula *quoque* friget; itaque pro *quoque* legendum fortasse esse *quin*, iam olim suspicabar; sententiae nexus: Quare, quod tu, Lesbia, te mihi amore erga te flagranti praeter spem restituis, hoc nobis gratum.immo auro carius est.

5. *ipsa* (*αὐτή*), sponte. — *refers te*, reconciliata ad me redis. — *insperanti nobis*, pro mihi, ad me; haec loquendi ratio, qua singulari in pronominibus iungitur pluralis, comicis imprimis poetis est familiaris. Terent. Eunuch. IV, 3, 7. *absente nobis*. Plaut. Amphitr. II, 2, 194. *nobis praesente*.

6. *O lucem cand. nota*, scil. insigniendam; supr. LXVIII, 148. *Quem lapide illa diem candidiore notat*.

7. 8. *aut, magis hac quid* cett. aut quis dicere poterit, quid magis hac vita, quae mihi nunc contigit, optandum sit?

CARM. CVIII.

Cominium, iam senem, poeta exsecratur ut hominem maledicum, maleficum, impuris moribus spurcatum et, si iste ex arbitrio populi perierit, dignum, cuius corpus et singulae eius partes saevis bestiis devorandae obiiciantur.

1. 2. *tua cana sen. Spurc.* — *intereat*, si tu senex canus impuris moribus spurcatus intereas.

3. *inimica bonorum. inimicus* cum genitivo. Cic. Tuscul. IV, 15. *animorum motus inimicissimi mentis vitaeque tranquillae*.

4. *sit data*, pro: detur.

6. *Intestina canes*. sponte succurrit Hom. Iliad. I, 4. *αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι*.

CARMEN CIX.

AD LESBIAM.

Iucundum, mea vita, mihi proponis amorem
    Hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
Di magni, facite, ut vere promittere possit,
    Atque id sincere dicat et ex animo:
Ut liceat nobis tota producere vita
    Aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

CARMEN CX.

AD AUFILENAM.

Aufilena, bonae semper laudantur amicae:
    Accipiunt pretium, quae facere instituunt.
Tu, quod promisti mihi, quod mentita, inimica es,
    Quod nec das et fers saepe, facis facinus.
Aut facere ingenuae est, aut non promisse pudicae,
    Aufilena, fuit. Sed data conripere
Fraudando efficitur plus, quam meretricis avarae,
    Quae sese toto corpore prostituit.

CARM. CIX.

Deos rogat poeta, ut confirment fidem, quam Lesbia ei de perpetua in amore constantia dederit.

1. *mihi proponis*, promittis, promittendo me sperare sinis.

3. *ut vere promittere possit*, ut inspiretis ei animum, quo vere perpetuum amorem promittere *possit*.

5. *tota producere vita*, per totam vitam extendere. Cic. de Senect. 17. *ad centesimum annum vitam produxit*, et sic *diem*, *tempus*, *convivium* cett. *producere*.

CARM. CX.

Puellas, quae faciant quod promiserunt, ut *bonas amicas* laudandas, at istas, quae fallant, pro *inimicis* habendas esse poeta censet. Ad posteriores refert *Aufilenam*.

2. *Accip. pret. quae* cett. quae vere libidinis exercendae copiam faciunt, accipiunt pretium. — *facere* simpliciter de libidinis exercitio; sic ῥέζειν et ἐνεργεῖν apud Graecos, vid. *Bergler*. ad Alciphr. III. Ep. 55.

3. *quod mentita* (sc. es), nec promissis stetisti.

4. *Quod nec das*, sc. promissum libidinis fructum. — *et fers saepe*, et aufers saepe pretium; *ferre* simplex pro omnibus huius verbi compositis. — *facis facinus*, pro facienda libidinis copia facis fraudem et iniuriam.

5—8. *facere*, se non subducere promissae libidinis copiae. — *ingenuae*, ingenue et liberaliter sentientis, puellae est, *aut pudicae* puellae erat, Aufilena, non promisisse libidinis fructum. — *Sed data*, munera, mercedem, pretium (Ovid. Metam. VI, 463. *nec non ingentibus ipsam Sollicitare datis*) *conripere Fraudando*, fraude corradendo, *efficitur plus quam meretricis avarae*; ad *meretricis avarae* quid supplendum sit, nemo facile dixerit. Utrum poetae an scribarum socordiae tribuenda sit, qua ultimi huius carminis versus laborant, obscuritas, pro suo quisque statuat arbitrio. Tolli quidem potest haec obscuritas, sed emendandi genere liberrimo.

CARMEN CXI.

AD AUFILENAM.

Aufilena, viro contentas vivere solo,
Nuptarum laus e laudibus eximiis.
Sed quoivis quamvis potius succumbere fas est,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

CARMEN CXII.

IN NASONEM.

Multus homo es, Naso; nam tecum multus homo est, qui
Descendit: Naso, multus es et pathicus.

CARMEN CXIII.

AD CINNAM.

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Moechi: illo facto Consule nunc iterum

CARM. CXI.

Aufilena, mulier libidinosa et adultera, pueros, ut videtur, ex patruo pepererat. Catullus igitur in eius ignominiam quatuor versiculis expressit hoc: „Eximia sane laus est coniugis, quae uno marito contenta vivat; at si qua a castitate se abduci patiatur, cum quovis alio potius, quam cum patruo, rem habeat."

3. 4. *Sed quoivis quamvis potius* cett. sed fas est *(quamvis)* unamquamque cum quovis alio potius adulterari, quam ex patruo *fratres* parere. — *efficere fratres*, pro: edere vel gignere fratres, vix ferre videtur latinitas. Equidem liberius correxerim: *Quam matrem fratres ex patruo parere.* — Per *fratres* intellige patruorum filios, qui vel simpliciter *fratres* vel *fratres patrueles* vocari solent.

CARM. CXII.

Naso, cinaedus vel pathicus, dicitur *homo multus*, h. e. pathicus multorum hominum, qui eum ad explendam libidinem foedissimam adire solebant; Catullus ipse explicat: *nam tecum multus homo est, qui* cett. — Similiter fere Maecenas honesto sensu apud Horat. Sat. I, 9, 44. *paucorum hominum* (quia cum paucis familiariter versari solebat) dicitur. — *Descendit*, inclinatur, sensu obsceno.

CARM. CXIII.

De insigniter aucto adulterorum numero queritur poeta.

1. Ad *solebant* debet sane aliquid suppleri in sententiam: licentius indulgere libidini; sed haec pudica, ut ita dicam, aposiopesis cadit quidem in Virgilium, Eclog. III, 8. *Novimus et qui te* (scil. corruperit), *transversa tuentibus hircis*, sed non in Catullum. Itaque in pluribus editt. pro *solebant* legitur: *sedebant;* sed *sedere* vel *considere* dicuntur libidinosi vel libidinosae in lupanaribus; vid. supr. ad XXXVII, 6. et 14. Equidem pro *solebant* malim *ruebant*, sc. in Venerem, ut apud Horat. Od. II, 5, 3. *taurus ruens in Venerem.* At vitium latet fortasse non in *solebant*, sed in *Moechi*; lege igitur mecum: *Consule Pom-*

Manserunt duo, sed creverunt millia in unum
Singula: fecundum semen adulterio.

CARMEN CXIV.

IN MENTULAM.

Formiano saltu non falso Mentula dives
Fertur, qui quot res in se habet egregias!
Aucupia omne genus, pisces, prata, arva ferasque.
Nequidquam: fructus sumtibus exsuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint.
Saltum laudemus, dum modo ipse egeat.

CARMEN CXV.

IN MENTULAM.

Mentula habet instar triginta iugera prati,
Quadraginta arvi: cetera sunt maria.
Cur non divitiis Croesum superare potis sit,
Uno qui in saltu tot bona possideat,

peio primum duo, Cinna, solebant Moechari, facto Consule nunc iterum Manserunt duo.

3. 4. *sed crev. mill. in un. sing.* sed millia singula *creverunt* (confluxerunt) in unum numerum, in duo millia, ex duobus singulis moechis facta sunt duo millia moechorum.

CARM. CXIV.

Mentula, cui ampla erat agrorum possessio, speciem quidem prae se ferebat hominis divitis, sed sumtus, quos faciebat, superabant agrorum reditus. Itaque tantum abfuit, ut Mentula esset dives, ut premeretur rerum inopia; quam quidem sortem ei haud invidit Catullus. — De *Mentula* cf. supr. ad Carm. XCIV.

1. *Formiano saltu.* per *saltum* intellige pecuariam rem amplam et rusticam, et ea, quae v. 3. commemorantur. — *Formiano*, in agro Formiano prope Caietam, ubi Cicero quoque habuit praedium. — *Aucupia omne genus*, pro: *aucupiorum omne genus*, et sic saepe *genus;* nota est illa formula: *et id genus alia* pro: et alia huius generis. — *in se habet*, complectitur.

4 *Nequidquam*, sed haec omnia nihil ei prosunt, nam *fructus sumtibus exsuperat*, per sumtus, quos facit, exsuperat agrorum fructus. Cicero in Orat. in Catil. II, 8. *certare cum usuris fructibus praediorum.*

CARM. CXV.

Ridet et traducit poeta, ut in Epigrammate superiore, vanitatem et insolentiam Mentulae, qui maiores sumtus faciebat, quam ferrent agrorum, quibus se iactabat, reditus.

1. *instar*, ut *ferme* (nos: *gegen*), adiungi solet numerorum rationibus. Cic. in Epist. ad Attic. XVI, 5. *Mearum epistolarum nulla est συναγωγή, sed habet Tiro instar septuaginta.*

2. *maria*, immensa, infinita. Sallust. in Catil. c. 23. *maria et montes polliceri*, immensa et ingentia promittere.

4. *Uno in saltu*, cf. CXIV. 1. not.

Prata, arva, ingentes silvas saltusque paludesque,
Usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum?
Omnia magna haec sunt: tamen ipse est maximus ultor,
Non homo, sed vere Mentula magna minax.

CARMEN CXVI.

AD GELLIUM.

Saepe tibi studioso animo venante requirens
Carmina uti possem mittere Battiadae,
Queis te lenirem nobis, neu conarere
Infestum telis icere musca caput,
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem,
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

5. *Prata, arva* cett. cf. Carm. anteced. v. 3.

6. *ad Hyperboreos.* Macrobius II. in Somn. Scip. cap. 7. docet *antiquis dictos esse Hyperboreos, qui loca incolerent super Scythiam et ad Tanaim Istrumque, quasi originem Boreae introrsus recedendo transissent.* — *mare ad Oceanum* pro simplice: *Oceanum.* Iul. Caes. quoque Bell. Gall. III, 7. addit *mare.*

7. *maximus ultor*, supr. LXXI, 5. *Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos.*

CARM. CXVI.

Catullus, qui versibus felle madentibus contra se exacerbaverat Gellium, ut compesceret eius iram, muneri ei miserat Callimachi carmina Latine a se expressa. Sed nequicquam. Pergebat ille virus acerbitatis contra Catullum evomere. Hic igitur poenarum, quas Gellius daturus sit, de integro minas iacit.

1 — 6. *Saepe tibi* cett. Hunc locum paulo impeditiorem et obscuriorem, pro *Scaligeri* lectione *venanda* revocata vett. editt. lectione *venante*, ita explico: *Saepe animo venante* (cupide circumspiciente) id agens et *requirens, uti* (ut) *carmina Battiadae* (Callimachi) *tibi* (harum rerum) *studioso mittere possem* (mitterem), *quibus te lenirem* (te placarem et mihi reconciliarem), *neu conarere* (amplius tentares) *infestum caput* (me tibi infestum) *musca* (sicut musca) *telis icere* (aculeis pungere), *hunc nunc laborem, Gelli, frustra mihi sumtum* (a me insumtum) esse, *nec preces nostras hinc* (hac re) *valuisse* (apud te aliquid) *video.*

2. *Battiadae*, cf. supr. ad LXV, 16.

4. *musca*, non in vocativo, sed in nominativo accipio; omissa enim est particula comparandi *sicut*, ut saepe; exempla Horatiana bene multa collegi ad Horat. Ep. I, 2, 42. in edit. mai. — *telis*, aculeis.

7. *amictu*, intellige pallium, quo Romani sinistram manum obvolvere et sic contra hostis impetum se munire solebant; vid. *Heins.* et *Burm.* ad Petron. cap. 63. De simili Graecorum pugnandi ratione vid. *Cuper. Observ.* I, 12.

INDICES.

I.

INDEX VERBORUM.

A.

B.

C.

D.

lia iuveni mandata dedisse 64, 214. simulac fessis dederit fors copiam Achivis 64, 367. 2) tribuere, isti di mala multa dent clienti 14, 6. vobis mala multa di deaeque dent 28, 15. quid datur a divis felici optatius hora 62, 30. tertia pars (virginitatis) patri data, pars data tertia matri 62, 63. mihi quam dederit duplex Amathusia curam, scitis 68, 51. 3) committere, tradere, dilaceranda feris dabor 64, 152. passer, quoi primum digitum dare appetenti solet 2, 3. electos iuvenes simul et decus innuptarum Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro 64, 79. vovit pessimi poetae scripta tardipedi deo daturam 36, 7. lingua exsecta avido sit data vulturio 108, 4. — parentes genero sua iura simul cum dote dederunt 62, 65. 4) edere, procreare, nulla quit sine te domus liberos dare 61, 67. quae tuis careat sacris, non queat dare praesides terra finibus 61, 72. brevi liberos date 61, 212. 5) conciliare, afferre, isque domum nobis isque dedit dominam 68, 68. Volusi annales laxas scombris saepe dabunt tunicas 95, 8. tussim mihi meus venter dedit 44, 9. 6) in re Venerea, concedere, non das quod promisti mihi 110, 4. furtiva dedit mira munuscula nocte 68, 145. si nobis is datur unus dies 68, 147. data corripere fraudando efficitur plus quam meretricis avarae 110, 6. 7) expendere, refero datum lucello 28, 8. 8) locut., tu dabi' supplicium 116, 8.

De, praep. 1) de Posthumio et Corneli narrat amore 67, 35. Lesbia mi dicit semper male nec tacet unquam de me 92, 2. desine de quoquam quidquam bene velle mereri 73, 1. 2) de loco, quendam municipem de tuo volo ponte ire praecipitem in lutum 17, 8. nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum 17, 23. uxor Meneni, saepe quam in sepulcretis vidistis ipso de rogo rapere coenam 59, 3. tuo de vertice cessi 66, 39. (rivus) cum de prona praeceps est valle volutus 68, 59. cum de via mulier aves ostendit oscinentes 25, 5. 3) de tempore, vos convivia lauta sumtuose de die facitis 47, 6. 4) de causa, de quiete molli rabida sine rabie simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit 63, 44. nocturnae rixae, quam de virgineis gesserat exuviis 66, 14. iustitiam omnes cupida de mente fugarunt 64, 399. quoius ego interitu tota de mente fugavi haec studia 68, 25. 5) de integro, cuius pars est aliquid, tu praeter omnes une de capillatis cuniculosae Celtiberiae fili 37, 17. — Veronae turpe Catullo esse, quod hic quisquis de meliore nota frigida deserto tepefecit membra cubili 68, 28.

Dea, Pasithea 63, 43. Hamadryades 61, 23. dea, magna dea, Cybelle, Didymi dea domina 63, 91. dea, quae dulcem curis miscet amaritiem 68, 18. Nemesis est vehemens dea 50, 21. adiit opaca silvis redimita loca deae 63, 3. simul ite, sequimini Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora deae 63, 20. vobis mala multa di deaeque dent 28, 14. tali mente, deae, funestet seque suosque 64, 201. non possum reticere, deae, qua Manlius in re iuverit 68, 41.

Debere, si tibi vis oculos debere Catullum 82, 1.

Decedere, Thessala pubes sanctis coepit decedere divis 64, 269.

Decem, puto esse ego illi millia aut decem aut plura perscripta 22, 4. millia me decem poposcit 41, 2. mihi redde decem sestertia 103, 1.

Decere, castum esse decet pium poetam ipsum 16, 5. non decet tam vetus sine liberis nomen esse 61, 212. nos decet citatis celerare tripudiis 63, 26. iam respondere decebit 62, 18. ut decuit cinaediorem 10, 24.

Decerpere, decerpens aequabat semper opus dens 64, 316. (compar dicitur) oscula mordenti semper decerpere rostro 68, 127.

Decies, nec toto decies cacas in anno 23, 20.

Declarare, prae se declarant gaudia vultu 64, 34.

Declinare, nec prius ex illo flagrantia declinavit lumina 64, 91.

Decoctor, decoctoris amica Formiani 41, 4. 43, 5.

Decorare, talibus amplifice vestis decorata figuris 64, 266.

Decurrere, ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi 64, 6.

Decursus, prono 65, 23.

Decus, de hominibus, qui prae aliis eminent, o decus eximium, magnis virtutibus augens (Peleu) 64, 324. electos iuvenes simul et decus innuptarum Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro 64, 78. ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei 63, 64.

Dedere, 1) iuveni in manus puellulam dedis 61, 59. dedatur cupido iamdudum nupta marito 64, 375. 2) committere, se impuro dedit adulterio 66, 84. in mala deditus vir adultera 61, 102. morti dedita praeda 64, 363.

Dedicare, hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape 18, 1. se dedicat tibi, gemelle Castor et gemelle Castoris 4, 26.

Deducere, dextera leviter deducens fila 64, 313. nec tamen illa mihi dextra deducta paterna fragrantem Assyrio venit odore domum 68, 143.

Deesse, concedo sit dives, dum omnia desint 114, 5. quam tibi fallaci supremo in tempore deessem 64, 251.

Defendere, sedes defendere fretis annuit 64, 229.

Deferre, 1) volo ad Serapin deferri 10, 27. — abripere, te amoris aestus in abruptum detulerat barathrum 68, 108. 2) offerre, ultro ego deferrem, copia si qua foret 68, 40.

Defessus, membra 50, 14. defessus omnibus medullis 55, 30.

Deflectere, vitis prono deflectens pondere corpus 62, 51.

tur 51, 1. me deum salutant 19, 5. hunc deum vereberis 20, 15. o di, si vostrum est misereri 76, 17. o di, reddite mi hoc pro pietate mea 76, 26. isti di mala multa dent clienti 14, 6. vobis mala multa di deaeque dent 28, 14. si tibi dii favent 13, 2. si tu oblitus es, at dii meminerunt 30, 11. ita me dii ament 97, 1. heroes, salvete, deûm genus 64, 23. egone deûm ministra et Cybeles famula ferar 63, 68. tenella matre mugiente vaccula deûm profundit ante templa sanguinem 20, 15. cedentem ad templa deûm me 66, 63. omnia fanda nefanda iustificam nobis mentem avertere deorum 64, 407. geminas deorum ad aures nova nuntia referens 63, 75. (comam) multis illa deorum pollicita est 66, 9. deos rogabis, totum ut te faciant, Fabulle, nasum 13, 13.

Devincire, devinctam lumina somno 64, 122.

Devocare, ut Triviam dulcis amor gyro devocet aerio 66, 6.

Devolvere, devolvit illa acuta sibi pondera silice 63, 5. devolutum ex igne prosequens panem 59, 4.

Devorare, malae tenebrae Orci, quae omnia bella devoratis 3, 14. quid hic potest, nisi uncta devorare patrimonia 29, 23.

Devovere, 1) devotae flavi verticis exuviae 66, 62. 2) exsecrari, abominari, devota domum periuria portas 64, 135.

Dexter, 1) laeva sive dextera vocaret aura 4, 19. hinc dextra s. dextera, subst. (sc. manus), inquinatiore 33, 3. paterna 68, 143. dextera tum leviter deducens fila supinis formabat digitis 64, 313. fit ista mentula apta clava dexterae 20, 21. pinguis agnus gravem domum remittit aere dexteram 20, 13. ut tauri respergas sanguine dextram 64, 130. 2) felix, faustus, approbationem 45, 9, 18.

Dicare, (ventos) iunctos mihi dicares 55, 29.

Dicax, homo 22, 2.

Dicere, 1) exercere linguam, loqui, si nos omnino vis omnes perdere, dicas 98, 6. Lesbia mi dicit semper male 92, 1. 2) verbis exprimere aliquid, nos: sagen, Lesbia mi mala plurima dicit 83, 1. mulier cupido quod dicit amanti 70, 3. quid dicam, quare rosea ista labella hiberna fiant candidiora nive 80, 1. id sincere dicat et ex animo 109, 4. si quis delicias diceret aut faceret 74, 2. hoc ut dixit 45, 8, 17. perhibent haec moestam dixisse 64, 130. non istuc satis est uno te dicere verbo 67, 15. quaecunque homines bene quoiquam aut dicere possunt aut facere, haec a te dictaque factaque sunt 76, 7, 8. in te dici pote id quod verbosis dicitur et fatuis 98, 1, 2. — seq. acc. c. inf., non solum hoc se dicit cognitum habere 67, 31. nulli dicit mulier mea nubere malle, quam mihi; dicit 70, 1, 3. dicebas quondam solum te nosse Catullum 72, 1. quod modo dixeram me habere 10, 28. nulla potest mulier tantum se dicere amatam 75, 1. nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam 67, 11. seq. inf., tuo stetisse dicit in cacumine 4, 16. — seq. coni., Caecilio dicas Veronam veniat 35, 2. — seq. relat., quare quidquid habes boni malique, dic nobis 6, 16. dic agedum nobis, quare mutata feraris in dominum veterem deseruisse fidem 67, 6. dic nobis, ubi sis futurus 55, 15. magis hac quid optandum vita, dicere quis poterit 107, 8. — conserves puerum mihi pudice, non dico a populo 15, 6. quod pruriat incitare possunt, non dico pueris, sed his pilosis 16, 10. dixerit hic aliquis: qui tu isthaec ianua nosti 67, 37. 3) pronuntiare, chommoda dicebat, si quando commoda vellet dicere Arrius 84, 1, 2. cum quantum poterat dixerat hinsidias 84, 4. sic avunculus eius dixerit 84, 6. 4) narrare, hoc est, quod dicunt 94, 2. ianuam dicunt Balbo servisse benigne 67, 3. dicam vobis (illius hoc studium). Vos porro dicite multis millibus 68, 45. nobis dicere ne dubita 67, 18. — dici, diceris male te a tuis glabris abstinere 61, 141. quoius esse diceris 8, 17. quod illic natum dicitur esse 10, 15. non culpa mea est, quamquam dicitur esse mea 67, 10. pater nati violasse cubile dicitur 67, 24. compar dicitur oscula mordenti semper decerpere rostro 68, 126. hoc est quod dicitur 100, 3. Peliaco quondam prognatae vertice pinus dicuntur liquidas nasse per undas 64, 2. 5) appellare, nominare, delicias tuas Catullo velles dicere 6, 3. quendam quem dicere nolo nomine 67, 45. saepe illam audivi nomine dicentem, quos diximus 67, 43. tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis et notho es dicta lumine Luna 34, 14, 16. 6) cantare, in modum dicite: o Hymenaee Hymen, Hymen o Hymenaee 61, 39. iam dicetur Hymenaeus 62, 4. dicere iam incipient: Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee 62, 18. 7) indicare, nostros ut luctus carbasus obscura dicat ferrugine Hibera 64, 227.

Dictum, non bona 11, 16. vagis nequidquam credita ventis 65, 17. infestis 66, 73. tua dicta omnia factaque ventos irrita ferre sinis 30, 9. (viri) dicta nihil metuere, nihil periuria curant 64, 148.

Dies, haec atque illa atque alia atque alia 68, 152. par 61, 38. clarum 61, 89. hesterno 50, 1. continuo 14, 14. hilari 61, 11. longo 80, 4. media 61, 118. festis 64, 389. paucis 13, 2. Saturnalibus, optimo dierum 14, 15. abit dies 61, 79, 84, 94, 109, 119, 119. lapide diem candidiore notat 68, 148. vos convivia lauta sumtuose de die facitis 47, 6. male est et laboriose et magis magis in dies et horas 38, 3.

Difficilis, difficile est longum subito deponere amorem: difficile est 76, 13, 14.

Diffindere, diffissus in aestu meientis mulae cunnus 97, 7.

Diffundere, unda Scamandri rapido diffunditur Hellesponto 64, 359.

E.

pore 64, 169. in morte (periculo mortis) 76, 18. querelis 64, 130.

Exturbare, pinus radicibus exturbata 64, 108.

Exurere, exustos agros 68, 62.

Exuviae, devotae flavi verticis 66, 62. de virgineis 66, 14.

F.

Faba, id (quod cacas) durius est faba et lapillis 23, 21.

Fabricare, ego arte fabricata rustica 20, 1.

Fabula, laedit te quaedam mala fabula 69, 5.

Facere, 1) quid feci ego, cur me tot male perderes poetis 14, 4. quid voluit, fecit 74, 5. quid faciant dehinc homines 30, 6. quid facient crines, cum ferro talia cedant 66, 47. quid faciant hostes capta crudelius urbe 62, 24. hoc facies 76, 16. quare id faciam 85, 1. si id faceres satur 21, 9. nolim statuas nos mente maligna id facere 68, 38. nihil fecisse benigne est 73, 3. quaecunque homines bene quoiquam aut dicere possunt aut facere, haec a te dictaque factaque sunt 76, 8. — facit impetum 63, 89. ne finem facias, sed irrumatus 21, 13. cum millia multa (basiorum) fecerimus 5, 10. ni tu quid facias ineptiarum 6, 14. uno in Septimio fidelis Acme facit delicias libidinesque 45, 24. si quis delicias diceret aut faceret 74, 2. convivia lauta facitis de die 47, 6. — verbum non faciet patruus 74, 6. te ut poeniteat postmodo facti, faciet (Fides) 30, 12. face ut hinc furoribus, face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat 63, 78, 79. face ut tibi haec vigeant mandata 64, 231. satis est facere, ut quivis sentiat et videat 67, 18. facite ut vere promittere possit 109, 3. face cuncta mugienti fremitu loca retonent 63, 82. facite haec charta loquatur anus 68, 46. 2) componere, fabricare, longe plurimos facit versus 22, 3. hoc tibi poema feci 50, 16. diva ipsa fecit levi volitantem flamine currum 64, 9. ne aranea deserto in Manli nomine opus faciat 68, 50. 3) de facinoribus: committere, facis facinus 110, 4. nescis, quod facinus facias 81, 6. illa malum fecit adulterium 67, 36. isti populo ianua quidque facit 67, 12. omnia si facias 75, 8. quid facit is, qui cum matre atque sorore prurit 88, 1. quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum 88, 3. 4) reddere, opaca quem bonum facit barba 37, 19. acceptum face redditumque votum 36, 16. — deos rogabis, totum ut te faciant nasum 13, 14. 5) aestimare, non faceret pili cohortem 10, 13. non pili facit uni (puellam) 17, 17. non assis facis 42, 13. 6) fingere, cum Tappone omnia monstra facis 104, 4. se facit esse venustum 97, 9. ut puellae unum me facerem beatiorem 10, 17. 7) in re Venerea: copiam sui facere, accipiunt pretium, quae facere instituunt 110, 2. facere ingenuae est (amicae) 110, 5.

Factum, 1) clara 64, 349. impia 23, 10. 30, 4. saevis 64, 203. te ut poeniteat postmodo facti faciet tui 30, 12. pectore Attis sua facta recoluit 63, 45. audiero nunquam tua facta loquentem 65, 9. (te) audiam Hiberum narrantem loca, facta, nationes 9, 7. tua dicta omnia factaque ventos irrita ferre sinis 30, 9. queis ego pro factis coelesti reddita coetu 66, 37. 2) facinus, scelus, facta virum multantes vindice poena 64, 192.

Fagus, altas 64, 290.

Fallax, somno 64, 56. hominum 30, 4. quam tibi fallaci supremo in tempore deessem 64, 151.

Fallere, me iam non dubitas fallere 30, 3. ad fallendos homines 76, 4. — falli = errare, peccare, nimirum idem omnes fallimur 22, 18.

Falsiparens, Amphitryoniades 68, 112.

Falso, 114, 1.

Falsus, virgo quod fertur tradita nobis, falsum est 67, 20. — fallax, fraudulentus, Alphene immemor atque unanimis false sodalibus 30, 1. fictus, simulatus, lacrimulis 66, 16. spurius, adulterinus, puerperium 67, 48.

Falx, non falx attenuat frondatorum arboris umbram 64, 41.

Fama, bona 61, 62. unica 61, 230. qui sis, fama loquetur anus 78, 10. an vere fama susurrat grandia te medii tenta vorare viri 80, 5.

Fames, frigoraque et famem tulistis 28, 5. — de homine avaro, Porci et Socration, scabies famesque Memmi 47, 2.

Famula, Cybeles famula ferar 63, 8. (Attis) semper famula fuit 63, 90.

Famulari, tibi iucundo famularer serva labore 64, 161.

Famulus, herifugae 63, 52. suum Zephyritis eo famulum legarat 66, 57.

Farcire, nihilo minore verpa farti estis 28, 13.

Fari, fari haec liceat 66, 71. omnia fanda 64, 406.

Fascinare, basia possint non mala fascinare lingua 7, 12.

Fastus, tanto te in fastu negas 55, 14.

Fateri, illius clara facta saepe fatebuntur matres 64, 350. hoc pudet fateri 6, 5.

Fatum, immiti 64, 246. mali 15, 17. vos, quae fata sequuntur, currite, ducentes subtemina, currite, fusi 64, 327. Daulias absumti fata gemens Ityli 65, 14. mea fata sorores lugebant 66, 52. talia divino fuderunt carmine fata 64, 322.

Fatuus, hoc illi fatuo maxima laetitia

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.



R.

S.

sum 41, 8. talis in vario solet divitis domini hortulo stare flos hyacinthinus 61, 91. rictum, qualem diffissus in aestu meientis mulae cunnus habere solet 97, 8. tu solebas meas esse aliquid putare nugas 1, 3. sese mortali ostendere coetu coelicolae nondum spreta pietate solebant 64, 387. quae Themis olim antiquis solita est munera ferre piis 68, 154. Gellius audierat patruum obiurgare solere, si 74, 1. electos iuvenes Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro 64, 79. — supplend. infinit., sestertia, quae soles, precari desine 23, 26. Romuli antiquam, ut solita es, bona sospites ope gentem 34, 23. ego patriam miser relinquens, dominos ut herifugae famuli solent 63, 52. — Consule Pompeio primum duo solebant moechi 113, 1.

Solers, corde 64, 295.

Solium, candet ebur soliis 64, 45.

Sollicitus, tibi tunc toto pectore sollicitae mens excidit 66, 24.

Solum, adv. 66, 59. non solum, sed 67, 31. 83, 5.

Solum, substant., pingue 68, 110. — extremo 68, 100. dura 63, 40. recente terrae sola sanguine maculans 63, 7.

Solus, tu horum magnos vicisti sola furores 68, 129. te solum, Phoebe, relinquens 64, 300. dicebas solum te nosse Catullum 72, 1. (passer) ad solam dominam usque pipilabat 3, 10. viro contentas vivere solo nuptarum laus e laudibus eximiis 111, 1. solis putatis esse mentulas vobis 37, 3. solis licere quicquid est puellarum confutuere 37, 5. tertia (pars virginitatis) sola tua est 63, 64. scimus haec tibi, quae licent, sola cognita 61, 147. 2) sine comitibus s. arbitris, solus in Libya caesio veniam obvius leoni 45, 7. solam Theseus me reliquit 64, 200. illam audivi furtiva voce loquentem solam cum ancillis haec sua flagitia 67, 42. de locis = desertus, insula 64, 184. in arena 64, 57. sub rupe 64, 154.

Solvere, 1) dissolvere, in cinerem canos solvent a vertice crines 64, 351. — (malum) zonam soluit diu ligatam 2, 13. nervosius illud, quod posset zonam solveré virgineam 67, 28. tibi virgines zonula soluunt sinus 61, 53. urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla 64, 368. — solutis curis 31, 7. 2) reddere, votum solvite pro mea puella 36, 2.

Somnus, fallaci 64, 56. tristi 64, 122. molli 68, 5. languidulos 64, 332. — nec somnus tegeret quiete ocellos 50, 10. somnum capiunt sine Cerere 63, 36.

Sonare, ubi cymbalúm sonat vox 63, 21. amnium sonantum 34, 12.

Sonipes, vegetis 63, 41.

Sonitus, palans 63, 74. sonitu suopte tintinant aures 51, 10.

Sopor, piger 63, 37.

Sordere, sordebant tibi villicae 61, 136.

Sordidus, quamvis sordida res et invenusta est 12, 5.

Soror, 1) venusta 89, 2. lenta 64, 291. — Pelea tecum pariter soror aspernata est 64, 302. hic fratrem, ille sororem (deperit) 100, 3. cum matre atque sorore prurit 88, 1. — Parcae, accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores, veridicum oraclum 64, 326. 2) de rebus sibi similibus et arcte inter se coniunctis, abiunctae paulo ante comae mea fata sorores lugebant 66, 51.

Sorsum, manum sorsum habebis 20, 17.

Sospes, (Theseus) inde pedem sospes multa cum laude reflexit 64, 112. non sospitem Erechtheum se ostendit visere portum 64, 211.

Sospitare, Romuli antiquam bona sospites ope gentem 34, 24.

Spatium, omne vitae spatium famula fuit 63, 90.

Spectare, sedens adversus identidem te spectat et audit dulce ridentem 51, 4. quae postquam cupide spectando Thessala pubes expleta est 64, 268.

Specula, Cycnaeae 67, 32.

Specus, Aonios 61, 28.

Sperare, patris auxilium sperem 64, 180. mihi non hoc miserae sperare iubebas 64, 140. nec mater caros mittet sperare nepotes 64, 381. c. acc. c. inf., non ideo sperabam te mihi fidum fore, quod 91, 1. nulla viri speret sermones esse fideles 64, 144. utpote quae mi speraret nec linguam esse nec auriculam 67, 44. — tum mirifice sperabat se esse locutum 84, 3.

Spernere, haec commoda tam beata noli spernere 23, 25. nondum spreta pietate 64, 387.

Spes, nulla 64, 186. quali spe perdita nitar 64, 177.

Spica, mollis 20, 11.

Spinosus, curas 64, 72.

Splendere, sedes fulgenti splendent auro 64, 44. splendent summi carchesia mali 64, 236.

Sponsus, sponsi furtivo munere 65, 19.

Spuma, torta remigio spumis incanduit unda 64, 13.

Spumare, spumantibus undis 64, 255. 68, 3.

Spumosus, ad litora 64, 121.

Spurcare, tua cana senectus spurcata impuris moribus 108, 2.

Spurcus, saliva 78, 8. 99, 10.

Squalidus, robigo 64, 42.

Stabulum, apud ferarum gelida 63, 53.

Stadium, abero stadio et gymnasiis 63, 60.

Stagnum, in liquentibus 31, 2.

Stare, in vario solet hortulo stare flos hyacinthinus 61, 93. tuo stetisse dicit in cacumine 4, 16.

Statim, 32, 9.

Statua, inauratâ 81, 4.

Statuere, nolim statuas nos mente maligna id facere 68, 37.

Stella, stellarum ortus comperit atque obitus 66, 2.

Sterilis, vir 63, 69. semine 67, 26.

Sternuere, 45, 9, 18.

Stimulare, 1) laevum pecoris hostem stimulans 63, 77. 2) incitare, stimulatus furenti rabie (Attis) 63, 4.

Stipendium, dira 64, 173.

Stipes, recto 64, 290.

Surgere, surgere iam tempus 62, 3.

Surripere, (Lesbia) omnibus una omnes surripuit Veneres 86, 6. surripui tibi suaviolum 99, 1. non unquam posthac basia surripiam 99, 16.

Suscipere, incipere, facere, nil mihi tam valde placeat, quod temere invitis suscipiatur heris 68, 78. pons, in quo vel Salisubsulis sacra suscipiantur 17, 6. ecquid scis, quantum suscipias sceleris 88, 4. suscipit quantum non ultima Tethys abluit 88, 5.

Suscitare, 1) excitare, cum te octava quiete e molli longo suscitat hora die 80, 4. 2) abigere, (nepos) suscitat a cano vulturium capite 68, 124.

Suspendere, infecta vago suspendam lintea malo 64, 225. — tacito suspendit vota labello 64, 104.

Suspicari, ut suspicor 14, 8.

Suspirare, puellam, in flavo saepe hospite suspirantem 64, 98.

Sustollere, candida intorti sustollant vela rudentes 64, 235. dulcia non moesto sustollens signa parenti 64, 210. sicula nunquam se mediam sustulit ad tunicam 67, 22.

Susurrare, an vere fama susurrat grandia te medii tenta vorare viri 80, 5.

Suus, saepius.

T.

Tabella, 1) ne quis liminis obseret tabellam 32, 5. 2) pugillares, multum lusimus in meis tabellis 50, 2.

Taberna, salax 37, 1. totius frontem tabernae scipionibus scribam 37, 10. — Dyrrachium, Hadriae tabernam 36, 15.

Tabescere, cum non moesta assiduo tabescere lumina fletu cessarent 68, 55.

Tabula, rationum tabulae, (Rechnungsbücher) ecquidnam in tabulis patet lucelli expensum? 28, 6. testamenti tabulae, (nepos) nomen testatas intulit in tabulas 68, 123.

Tacere, sed tacebitis 19, 15. atqui, si id faceres satur, tacerem 21, 9. si nostri oblita taceret, sana esset 83, 3. c. acc., delicias tuas Catullo velles dicere, nec tacere posses 6, 3. mi praevalet ista nil tacere 6, 12. — seq. de, Lesbia mi dicit semper male, nec tacet unquam de me 92, 1. — neu diu taceat procax Fescennina locutio 61, 126. cum tacet nox 7, 7.

Tacitus, cubile 6, 7. labello 64, 104. mente 62, 37. — tacitus, subst., qui reticere secreta potest, si quidquam tacito commissum est fido ab amico 102, 1.

Taeda, 1) fax nuptialis, pineam 61, 15. vos, optato quas iunxit lumine taeda 66, 79. 2) nuptiae, non Thetidis taedas voluit celebrare iugales (Apollo) 64, 303. eximie taedis felicibus aucte Peleu 64, 25.

Taedet, (fuisse benigne) immo etiam taedet, taedet obestque magis 73, 4.

Talentum, tua furta vel talento mutari velit (frater) 12, 7.

Talis, cum coniuge 62, 59. funera nefunera 64, 82. cum ferro talia cedant 66, 47. — coetus 64, 408. praemia 64, 157. iniuria 72, 7. verba 81, 9. mandata 64, 214. fata 64, 322. figuris 64, 266. talis — qualis, talis illius a bona matre laus genus approbet, qualis 61, 226. qualis rivus muscoso prosilit e lapide —, tale fuit nobis Manlius auxilium 68, 66. qualem Minoidi luctum obtulerat, talem ipse recepit 64, 249. quali solam Theseus me mente reliquit, tali mente funestet seque suosque 64, 201. nulla domus tales unquam contexit amores, nullus amor tali coniunxit foedere amantes, qualis 64, 335, 336. supplend. qualis, talis in vario solet divitis domini hortulo stare flos hyacinthinus, (qualis tu es) 61, 91. — velut, talis, velut alnus in fossa Liguri iacet, talis iste meus stupor nil videt, nihil audit 17, 21. — hic, talia praefantes (Parcae) 64, 383. talia divino fuderunt carmine fata 64, 322. ferunt (Aegea) talia iuveni mandata dedisse 64, 214. talibus amplifice vestis decorata figuris 64, 266.

Tam, cur nunc tam latera exfututa pandas 6, 13. tam gaudet in se, tamque se ipse miratur 22, 17. — c. adiectiv., tam bellum passerem 3, 15. tam vetus nomen 61, 213. tam bona mater tamque valens, tamque venusta soror, tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis cognatis 89, 1, 2, 3. in tam magno corpore 86, 4. illa multa tam iocosa 8, 6. commoda tam beata 23, 24. c. adverb., tam longe 68, 97. tam perdite 104, 3. — tam — quam, non his tam laetor rebus, quam 66, 75. — tam gratum mihi, quam 2, 11. quam magnus numerus arenae iacet Cyrenis, tam te basia multa basiare satis Catullo est 7, 9. — suam norat ipsam tam bene, quam puella matrem 3, 7. utor tam bene, quam mihi pararim 10, 32. — supplend. quam, neque tam carum parenti una caput seri gnata nepotis alit, — (quam) 68, 119. — tam, — ut, num te leaena tam mente dura procreavit ac tetra, ut 60, 3. non mihi tam fuit maligne, ut 10, 18. — tam, — qui, nil mihi tam valde placeat, quod 68, 77.

Tamen, 10, 14. 24, 10. 39, 15. 42, 15. 55, 8, 30. 61, 82. 64, 103, 188. 65, 15. 68, 135, 143. 72, 6. 79, 3. 101, 7. 115, 7.

Tandem, vix tandem 62, 2. 68, 121.

Tangere, 1) attingere, pervenire, Phrygium nemus citato pede tetigit (Attis) 63, 2. ut domum Cybelles tetigere (Gallae) 63, 35. utinam ne Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes 64, 172. 2) inficere, maculare, ne vostrum scabra tangat ro-

U.

V.

Z.

II.

INDEX NOMINUM PROPRIORUM.

A.

B.

H.

I.

L.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

Z.

Pag. 57. v. 8. et 26. scr. Libya pro Lybia.

GOTHAE,
TYPIS ENGELHARDO-REYHERIANIS.

IV · 7. 18.
X · 26.
XV · 18.
~~[illegible] 3~~
XVII 24
XXII 4
XXVI [illegible]
22
XLIV 18
LXII 32.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
246 [illegible]
LXII 5. 26.
LXIII 5[illegible].
XXIX 4
LXIV [illegible]
LXV [illegible]
[illegible]
237
[illegible]
LXVII 32
LXXIII 6
XCVII 1
[illegible] 2
CVII 1
CXIV [illegible]
CXV [illegible]
[illegible]
[illegible]

